



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Defensio Abbatiæ Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**

Pars Prima. Ius & Aduocatia Imperialis Monasterij S. Maximini.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

# PARS PRIMA.

*Fus & Aduocatia Imperialis Monasterij  
S. Maximini.*

RIA erunt huius partis Capita. Primo demonstrabitur, quod Imperialis S. Maximini Abbatia à primo suo exordio Imperatoribus Romanis ac Regibus, atque adeò S. Romano Imperio, & nulli alteri immediatè subiecta sit. Secundò, quod similiter in Ecclesiasticis & spiritualibus nulli nisi Pontifici Maximo Suprēmo Ecclesiarum Romanarum Capiti patuerit. Tertio, quod ad Regem Hispaniarum Catholicum Protectio & Aduocatia præfatæ Abbatiae, ac omnium eius Iurium à multis sæculis cum Imperatorum ac S. Romani Imperij consensu ac voluntate hereditario Iure ratione Ducatus Luxemburgensis deuoluta sit.

## CAPUT PRIMVM.

*Monasterium S. Maximini immediate Imperatori  
ac S. Romano Imperio subiectum esse.*

OC duobus modis clare & euidenter probatur. Primo ex Imperatorum ac Regum maximorum decretis, sententijs, concessiōnibus ac Diplomatis. Secundò ex proprietatibus & notis certissimis status immediatè S. Cæsareæ Maiestati ac Imperio Romano subiecti.

### SECTIO I.

*Probatur ex Imperatorum & Regum Decretis,  
Sententijs & Diplomatis.*

ONASTERIUM præfatum à Constantino Magno Imperatore originem ducere constat. Ab illo sanctissimo Principe Palatium, sive Basilikam & Regale templum sacris vībis applicatum, & ad S. Helenæ matris instantiam Cæsarilis iussu per S. Agritium Archiepiscopum Treuirensim, S. Ioanni Apostolo dedicatum, illic congregatos viros Religiosos Orientalis disciplinæ, qui ibidem sub Abate Ioanne Monacho Antiocheno eiusdem professionis degenerent; ijsdem non contemnda prædia & Curtes, tam circa ipsius loci suburbana, quam alibi pro Dote ab eodem Imperatore concessa, & demum quod potissimum hic queritur à præfato Imperatore Constantino Magno immedia- tam Monasterium, quam eius ditiones & prædia Imperatoribus subiecta fuisse, cum expressa reseruatione, ut nulli alteri subessent.

Hæc omnia ita se habere, certò demonstrabitur ex luculentis consequen-

tium Imperatorum ac Regum tabulis, qui non modò de illo Constantini Magni facto causa cognita deciderunt, verum etiam eandem immediatam Imperij subiectionem dicto sacro loco addixerunt, adjudicarunt, confirmarunt.

### §. I. Dagoberti aliorumq; Regum ac Imperatorum Decreta.

 V M ante mille circiter annos tempore Dagoberti incliti Austrasiæ & Francorum Regis inquirendi occasio incidisset, de sœpedicti Monasterij fundatione & subiectione, Rex de consilio Episcoporum ac Comitum suorum, Legatos ad Abbatem S. Maximini Memilianum deputauit, ut serio examinatus & excusis antiquis sacri illius loci monumentis, de eius fundatione prima & subiectione ad ipsum certa referrentur, id præsticum & clarè ac certissimè deprehensum Monasterium illud à Constantino Magno conditum & fundatum, eiusdemque Imperatoris Maximi decreto solis Imperatoribus, non autem vlli alteri personæ subiectum fuisse aliaque quæ supra relata; quæ etiam Dagobertus Rex decreuit, approbavit, & additis non exiguis ditionibus & prædijs primam eius dotationem auxit. Sed hæc omnia in dicti Dagoberti Diplomate quod subijcio continentur.

**I**n nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Omnim Christianorum nouerit industria, qualiter ego Dagobertus Rex potentissimus Conuenienti consilio Episcoporum meorum Comitumque Legatos de mea parte ad Abbatem Memilianum direxi, mandans & ut diligenter inquireret, mihiq; per seipsum indicaret, quibus auctoribus illud Monasterium S. Maximini constructum, vel cuius Imperio à pristinis temporibus esset subiectum. Hanc legationem Abbas cum fratribus follicite percipiens, perfectisque in eodem loco quibusdam vetustissimis cartulis, inuentum est ipsum Monasterium Constantini Imperatoris fuisse Regale templum, atque iussu eius dedicatum fore in honore Sancti Ioannis Euangeliste, à Sancto Agrito Venerabili Archiepiscopo: In quo videlicet templo, ut idem Pater Monasterij nostra Regalitati certa relatione patefecit Helenæ sacra famula petente & fauente, supradictus Imperator pauperes Christi congregauit, eisque virum DEI Ioannem preposuit, ut in servitio Dei semper vacarent, & pro se orationibus insisterent; Et insuper illius loci habitationem alteri personæ noluit subdere nisi sua, successorumque Imperatorum protestari. His rebus ita esse firmiter intellectis regio more constituo atque firmissima inscriptione præcipio, ut nullus unquam proterue illud Monasterium, in quo Abbas supradictus præesse videatur, audeat inire, vel ullam inhumanitatem illi violenter inferre, Igitur ut assidua recordatio mei, meorumque parentum maneret in predicto Monasterio ipsorum Sancti Maximini præbendariorum virtutia sub præmemorato Imperatore constituta, additis mea ex parte prædijs augere curauit; quorum nomina haec sunt. Kannis, Cressiacum, Lonesvich, Regiodola, Vallis, Polich, Bædeliacum, Taleuant, Loanta. Hac loca ad Regiam Curtam, quæ dicitur Decima, pertinent, quam currentem cum omnibus rebus ad eam pertinentibus, hoc est, quidquid Prædijs suis habere afluui, que nuncupatur Rubera usque ad siluam, quæ dicitur Ieder, Sancto Maximino Præfulti in perpetuam hereditatem contradidi. Insuper etiam cum consilio & rogatu meorum Principum catenis inibi DEO deservientibus, hanc legem firmiter ac perpetualiter imposterum habendam decreui, scilicet, ut Centenorum ibidem summa Monachorum semper integra maneat & inconulsa, excepto si imperatorum Principumque per sacula succedentium benevolentia prædijs augmentetur vel

the-

9

thesauris. Et si proper Paganorum vel infidelium Christianorum deuastationem eisdem Christi seruatoribus penuria ultra modum ingruerit, & per thesauri effusionem expelli nequaerit, Deo omnipotens & mei meorumque Successorum habeant licentiam, alodium cum familia a fidelibus illo contraditum dandi & vendendi, antequam Dei destruantur servitia, & ut istius cartulae confirmatio firma in eum permaneat describi eam praecepi & nostro Sigillo eam inde firmaui. Actus pridie Nonas Aprilis, Anno Regni nostri duodecimo Moguntiae feliciter Amen. Signum Dagoberti Regis.



Henricus Cancellarius ad vicem Ricolui Archicapellani recognovit.

Antiquissimum illud Diploma ita subscriptum ac sigillatum per mille prope modum Annos conseruatum integrum illæsumque habemus.

Porrò Cartulæ nomine, illo Dagoberti suo Diplomata intelligi testatur vetus documentum à S. Germano concessum pro immunitate Abbatia S. Crucis, Anno V. Chariberti Regis LX. circiter annis ante hoc Dagobertinum, vbi nomen Cartulæ in hoc significatu usurpat. Refert illud Amoynus lib. 3. cap. 2. vbi Iacobus du Breul obseruat originale illius adhuc extare. Quin imo & ipse Dagobertus suum hoc Diploma in fine vocat cartulam.

Eandem Immediationem Status, Pontifices Maximi, Reges Supremi & Imperatores consequentes confirmarunt & firmarunt & firmiter decreuerunt.

In primis S. Gregorius II. Pontifex, qui tempore Caroli Martelli Sedem Romanam tenuit, S. Basino, qui eodem tempore S. Maximinum regebat inter Abbates decimus sextus ordine Bullam misit, qua firmiter alia decernit & præcipit, ut dictum Monasterium sub Regum mundiburdio maneat, neque ulli alteri personæ subijciatur quam exhibemus sub Num. 2.

Pipinus similiter Rex Austrasiæ & Francorum dictum Monasterium S. Ioanni Sacrum, vbi S. Maximinus est sepultus, dicit se habere sub potestate Regali, & ita per antecedentia tempora à Regibus constitutum, proinde se decernere Abbatem Utrradum cum Monachis & Abbatia sub Regum mundiburdio in secula manere, ita in Diplomate dato Moguntiae Anno XXV. Regni sui, quod habes Num. 3.

Carolus Magnus Imperator & Austrasiæ ac Francorum itidem Rex, parentis vestigijs insistens, Anno Regni quadragesimo, qui fuit octauus postquam à Leone Papa Imperij coronam accepit, constitutione edita statuit, ut præfatum Monasterium maneret sub suo ac Imperatorum mundiburdio, idq; tanta cum libertate & independentia, ut ne ipsi quidem Reges, eius Successores potestatem ullam in eo exercere vel exequi sine Abbatis voluntate aut requisitione possent. Insuper nostra preceptione constituimus (inquit) atque inconcusse firmamus ut nullus Regum nobis Succendentium, vel alia persona aliqua contra eundem locum, vel Monachos in tota Abbatia ullam potestatem exercere presumat, nec telonium usquam à naibus eorum exigat, seu plaeitum teneat sine iussione & petitione Abbatis. Sed securè & cum pace maneat, locus ille sub nostro & Successorum

*nostrorum Mundiburdio &c.* Vide ipsum Diploma Numero quarto.

Ludouicus Pius Imperator eadem omnia, quæ Pater eius Carolus, concessit, constituit, decreuit, imperauit, ut manifestum est ex eius Diplomate quod habes sub Num. 5. vbi hæc leges, Igitur istud præceptum ad utilitatem Monachorum fieri iussimus, per quod Imperamus, ne quislibet de iudicaria potestate in Curtes, vel in Villas ipsius Monasterij ad causas audiendum, nec fidei iussores rollendum neque ad manendum, aut homines ipsius Ecclesie distinguendum ingredi præsumat, sed sicut ipse locus sub antecessorum Regum hac tenus fuit conservatus, ita deinceps per nostram autoritatem permaneat in conuulsus.

Lotharium Austrasiæ Regem quoque eandem Iurisdictionem libertatem, & immediatum sub Imperatoribus Statum agnouisse & decreuisse, ex ipsius Diplomate euincitur, quod sub Num. 6. habes, vbi Rex Lotharij Imperatoris Generis sui, qui idem præstiterat & anteriorem Regum Austrasiæ & Imperatorum vestigijs insistens, *Abbatiam S. Maximini*, inquit, more Genitoris nostri cæterorumq. Antecessorum nostrorum nostris etiam priuilegijs, corroborare decredimus, & nulli alijs subiectam vel obnoxiam, excepto nostre Regalitati, sicut sub Antecessoribus nostris esse volumus. Nulli etiam Comitatui bannum aut fredas exoluat, nec aliquis in locis eiusdem sine nostro iussu placitum habere præsumat. Quibus verbis Imperatores & Reges omnem Iurisdictionem Principibus, Comitibus, & Dynastis Imperatore inferioribus in S. Maximini Ditiones denegant, eiusque omne exercitium tollunt, nisi id ex ipsorum Imperatorum & Regum iussu, mandato vel delegatione concedatur. Placitum enim conuentus iudiciales, bannum & fredas vero euocationes, mulctas & pœnas antiquorum Scriptorum vsu significare constat.

Atque ex allegatis Descretis & Diplomatis euincitur Abbatiam S. Maximini à Constantini M. tempore, adeoque à prima sua origine usque ad Dagobertum Austrasiæ Regem, & deinde tam sub illo quam consequentibus Imperatoribus & Austrasiæ Regibus immediate sub Imperio vel Regno supremo Statum liberum habuisse.

### S. 2. *Sententia Ottonis Imperatoris.*

**S**Excentis penè annis Iura S. Maximini inconcessa steterant cum Rothbertus Archiepiscopus Treuirensis, nescio quibus iudicijs vel malorum consilijs aut suggestionibus in eum errorem inductus est, ut Abbatiam præfatam olim ad Ecclesiam suam pertinuisse eiique subtractam fuisse crederet. Igitur apud Ottone Magnum Imperatorem actionem instituit, ac Monasterium sibi adjudicari petiit. Auditus est Abbas S. Maximini pro tempore Willerus, causaque examinata & probè cognita, prolatisque in Imperij Comitiis siue Procerum conuentu coram Cælare & iisdem Proceribus, Tabulis & Decretis Regum præcedentium præsente ipso Rothberto Actore lata est sententia ab Imperatore, & declaratum ac decretum, præfatum Cœnobium ab Antiquissimis temporibus in usum Monachorum constructum, nulli unquam Ecclesiæ vel Sedi subiectum fuisse, sed semper sub Regia Potestate mansisse, ac proinde sub ipsius Ottonis ac Successorum Germaniae Regum potestate perpetuo permanetur.

Ipsum quale hodieq; habemus integrum Originale: hic lege.  
**I**n nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto diuina annuente Clementia Rex. Notum esse volumus omnium nostrorum presentium scilicet & futurorum industrie, quod Nos pie & salubriter de nostri Status Regni tractando sancta loca ab Ante-

cessori-

cessoribus nostris, videlicet Regibus, vel alijs fidelibus in honore DEI constructa, nostris etiam priuilegijs Regali more robore decreuimus. Sed venerabilis Treuericae Sedis Archiepiscopus Rothbertus aliquorum, quos rei veritas latebat, adhortatus insincta, nostram (super loco vel Abbatiā sancti Confessoris Christi Maximini) adiit Regalitatem, hanc iniuste sibi, vel Ecclesie sua ablata fuisse conquestus. Nos tamen lecis in presentia nostra eiusdemq; Archiepiscopi Rothberti, vel aliorum fidelium nostrorum super eodem loco praecedentium Regum priuilegijs & decretis, eum ab antiquissimis temporibus ad opus Monachorum constructum nulli alijs Ecclesia vel Sedi appendicem aut subiectum, sed semper sub Regia Tuitiois Clypeo & potestate permansisse certissima ratione reperimus. Idcirco interuentu & rogatu Germani nostri Archiepiscopi Brunonis, & Conradi Duci, ne, vel eadem priuilegia talibus predicti Archiepiscopi Rothberti reclamationibus aut querelis infirmarentur; vel Abbas aut Monachi ibidem DEO seruientes tali ulterius infestatione comprimerentur, idem Cenobium cum Abbatia sub nostra perpetualiter & omnium succedentium Regum defensione & potestate permansurum volumus. Et prenotati Episcopi vel Successorum suorum Episcoporum occasionis iniuste super eodem loco querelas precepti nostri auctoritate excludimus; insuper Venerabilis eiusdem loci Abbas VVikerus in presentia prae nominati Treuericae Sedis Archiepiscopi est conquestus, in Treuerica valle multas ab eo suisque, suis & sibi incommoditates ingeri: maximèq; in pescatione & venna quadam in Rauera fluvio constructa, fideli nostro Duce Conrado affirmante queremoniam Abbatis iustum esse. Igitur presenti Archiepiscopo Rothberto interdiximus, deincepsq; volumus atque auctoritate Regali iubemus ne, vel ipse Archiepiscopus Rothbertus vel Successores eius Episcopi aliquid incommodatus, vel in pescatione eiusdem fluvij vel in Venna in eo constructa, vel in aliquo negotio praedicto Abbatii, cenobitisq; postfuturis ingerant, & ut praesens nostra Regalitatis praeceptum in postfutura sacula fixum & stabile permaneat, manu propria subtus firmauimus & annuli nostri impressione muniri iussimus.

Signum Domini Ottonis Inuictissimi Regis



Rudolphus Cancellarius ad vicem Brunonis Archivapellani recognoui. Data iij. Kl. Septembr. Anno Incarnationis Domini DCCCC. LIII. Indictione VI. Anno vero Regni Domini Ottonis Regis XVIII. Actum Moguntiae in DEI nomine feliciter, Amen.

Ita ante septingentos prope annos ab Imperatore Maximo, assidente S. Brunone Archiepiscopo Coloniensi & Imperij Archicancellario, Conrado Ducc & Regni Lothariensis a plurimis annis Administratore, atque adeo rerum peritissimo, alijsque Imperij Statibus & Proceribus Iudicatum ac decisum fuit. Neque huic sententiæ ita mature auditis partibus & cum omnibus Iuris solemnitatibus latæ, vñquam contradicunt aut contradici potuit. Neque etiam Scriptor anonymous in libello suo vbi omnia oppugnat, contra hanc sententiam quidquam obijcere aut verbum ullum hiscere potuit. Maluit nodum hunc insolubilem profundissimo silentio inuoluere. Neque vero subreptio-

nis, corruptionis aut faoris cuiusquam suspicione laborare hæc sententia potuit cum Otto Imperator Optimus, Bruno Sanctissimus fuerit, & ipse Rothbertus, Ottonis & Brunonis auunculus, Conradi vero, qui eius neprem duxerat affinis; ac proinde ex celso quodam iudicio Brunonis & Conradi nomina potius quam aliorum Procerum prædictæ sententiæ sunt inserta, ut posteritati constaret Rothbertum etiam consanguineorum & affinium suorum iudicio fuisse condemnatum.

Sententia igitur prædicti Iudicis & Tribunalis supremam vim obtinet, irrefragabilis est omnem litem controversiamque perimit, eaque una haec tenus sufficit, vt Pontifices Maximi, Imperatores, Reges, ac summa quæque Tribunalia pro S. Maximini Cœnobio in hac causa starent, ac secundum Iustitiam rei iudicatae decernerent. Neque ad causæ huius resolutionem alijs firmamentis opus. Ex abundanti nihilominus, quis aliorum Pontificum & Imperatorum sensus hac de re fuerit, adjiciemus.

*§. 3. Pontificum Summorum ac Imperatorum de eadem re  
Decreta ac Rescripta.*

**S**Ententiam Ottonis præfata iustissimam fuisse & Rothberti Archiepiscopi petitionem iniustum, Agapitus II. Pontifex, qui id temporis viuebat luculentè in Bulla ad Willerum Abbatem missa, Apostolico oraculo declaravit, quam habes Num. 16. vbi attestatur Pontifex, per legatos Abbatis Willeri Aolphum & Guntharium ipsius Sanctitati coram Clero, seu in Cardinalium Consistorio acta apud Ottonem omnia relata & recognitis irrefragabilibus antiquorum Imperatorum & Regum documentis, iudicium Ottonis omnium Decreto laudatum, & Statutum, vt Monasterium sub Regia tantum potestate permaneat neque vlli alteri personæ vnquam subiaceat.

Idem sensit Ioannes XIII. qui & Ottonis M. facta laudauit, & idem Monasterium sub Imperatorum potestate immediate permanere supra authoreitate præcepit. Vide Bullam eius Num. 14.

Eandem sententiam ac decreta, priuilegiaque Ottonis M. ac præcedentium Imperatorum laudarunt & approbarunt Otto II. binis Diplomatis sub Num. 12. & Num. 16. quorum prius, viuente adhuc Imperatore parente edidit, & Otto III. vno Francofurti concessio sub Num. 18. quibus peculiatariter illud reiterant & inculcauit, vt Religioso S. Maximini Conuentui libera semper sit Electio, nullius potestati, præterquam Imperatorum subsit, nullus in Monasterij ditione placitum habere, id est, Ius dicere præsumat præter Abbatem eiusque Commissos.

Similiter Iura omnia prædicta ac immediatam sub Imperatoribus & Imperio subiectionem Stabiluerunt Imperatores consequentes, S. Henricus, Conradus Salicus, Henricus III. Henricus IV. Henricus V. quorum Diplomata lege sub NN. 19. 20. 21. 22. 26. 31. In quibus obseruabis allegatos Imperatores præcipere statuere, decernere, vt dicta Abbatia nulli Ecclesiæ, Sedi vel persona quoconque pacto vnquam subiiciatur siue vt loquuntur famula aut appendix subiaceat, sed sub Imperatorum duntaxat Iure, mundiburdio & tuitio permaneat.

Huc pertinent Pontificum Sanctiones & decreta, tum Leonis IX. anno millesimo quinquagesimo primo sub Num. 23. tum Innocentij II. sub Nu. 33.

quibus

quibus clarè & luculentis terminis libertatem & Iura dicti Monasterij statuunt, declarant ac confirmant, quemadmodum & consequentes Pontifices præstiterunt. Gregorius X. Virbanus V. Martinus V. Bullis suis quæ hodieque seruantur in Originali.

Porro controversiam tam solemniter ab Ottone M. decisam post ducentos pene Annos suscitauit Albero Archiepiscopus Treuirense, qui cum omnia apud Conradum III. Imperatorem, quem ad coronam Imperij promouerat, posset, facilè Rescriptum contra S. Maximini Abbatiam ab eodem Imperatore obtinuisse dicitur, eius autographum siue Originale nunquam visum fuit, sed exemplum duntaxat multis subreptionis alijsq; defectibus laborans, quod in libello sublit. C. videri poterit, vti & sequenti parte, vbi refutabitur. Cuius quidem subreptitiæ impetrationis prætextu Abbas & Conuentus innumeris malis & oppugnationibus ab Alberone fuit molestatus, quibus tamen non cessit, sed in sui Iuris Tuitione perstigit, & tam facto suo, quam succendentium Imperatorum decretis & auxilijs Statum suum Iuraque pristina conseruauit, de quibus omnibus plura dicentur parte sequenti.

Itaque Fridericus Barbarossa Imperator, melius informatus de Monasterio nostri Iuribus, illud in eo statu ac bonis esse & permanere inuiolabiliter iuslit quæ olim à S. Henrico Imperatore ei fuerant reliqua, eius Diploma habes sub Numero 34.

Conradus deinde Rom. Rex Friderici Imperatoris Filius, Abbatem & Conuentum in peculiarem suam suscepit protectionem, idque tanquam fideles, hoc est, Vasallos & Subditos S. Roman. Imperij, ut indicat eius Diploma sub Numero 35.

Rudolphus I. glorioſissimus Imperator plus etiam præstigit, dum Diplomatico suo omnia Iura, priuilegia, libertates, concesſiones, donationes ab omnibus prædecessoribus suis Imperatoribus ipsis factas innouando confirmauit, quod Diploma habes Num. 36. Dum item Henrico Comiti Luxemburgensi, Henrico VII. parenti Rescripsit, vt præfatum Monasterium eiusq; Iura omnia tucretur, defendaret ac protegeret; extat illud Rescriptum sub Num. 37.

Carolus IV. & Wenceslao Fratri Aduocato Iura S. Maximini tuenda & defendenda ex officio commendauit, vt exhibetur sub Num. 38. & pridem concessa ab Imperatoribus priuilegia & exemptiones confirmauit Num. 39. & 40. Idem fecerunt Wenceslaus & Sigismundus Imperatores, vt legere poteris in eorum Diplomaticis sub Num. 41. 42. & Num. 45.

#### *S. 4. Imperatorum Austriacorum Decreta.*

**E**xcellētissima Augustæ Austriacæ familiæ pietas toto orbe nota erga Sacram S. Maximini familiam quam maximè eluxit, illam tanquam membra Insigne & Illustrem Romani Imperij Statum studiosè conseruauit ac protexit.

De Rudolpho I. iam dictum est ordine temporis id ita exigente.

Fridericus IV. Diplomate Francofurti dato sub Num. 47. omnia dicti Monasterij Iura, eiusque immediatam Imperio subiectionem agnouit, illudque speciale domicilium Imperij ac reseruaram Imperio Cameram extitisse & esse declarauit. Quin etiam pro tali habere dignatus est, quando cum Carolo Burundiæ Duce felicissimi connubii illo in loco fundamenta iecit.

Maximilianus I. auita & paterna secessus vestigia, similiter eadem Iura am-

plissimè confirmauit, & Luxemburgensibus suis, multorum sacerdorum Aduocatiam curæ esse iuslit in Diplomate quod N. 61. exhibetur, in quo plurima S. Maximini Diplomata ad verbum inserta sunt, quæ suis oculis coram in Originali ab Abbatore exhibita non sine magno animi sensu vidit, cum tot ei maiorum suorum, cæque antiquissima Imperatorum effigies in Sigillis apparerent.

Carolus V. magnus ille Cæsar, initio statim Imperii sui S. Maximini Iura & priuilegia innouauit & confirmauit, vt habes sub N. 62. Et quanti faceret conseruationem nobilissimi & antiquissimi illius Cœnobii, clarè testatus est geminis literis datis Wallisoletto ad Archiepiscopum Treuirensim, & ad Imperii Vicarium Ferdinandum Regem, ac Consilium Cæsareum, quas habes sub Nu. 64. quibus palam declarat dictum Monasterium à maioribus suis S. Rom. Imperii Cæsaribus conditum, ideoque tam sibi quam Pontifici summò immedia-  
tè & nulli alteri subiectum. Verba eius sonant. *Dicweld dasselbig Gotteshaus von Unsern Vorfahren am Heiligen Reich Römischen Kaiser gestiftet vnd deshalb den  
Vno vnd Däpstlicher Heiligkeit ohne alle mittel vnd sonst niemandt vnderworffen.  
Iuber itaque lacrum illum locum violento tempore Sickingeræ obsidionis à Treuirensibus eversum restaurari, quod maculam gloriae suæ inurendam vere-  
retur, si tale & tam illustre antiquitatis monumentum & Imperii membrum se imperante extingueretur. Vnde Archiepiscopum Richardum iubet pecuniam quam à Vincentio Abbe contra fas acceperat illico restituere, quod & factū.*

Similia allegat idem Imperator in Epistola ad Adrianum Pontificem Maximum directa sub Num. 65. in qua insuper grauiter & magnis de causis interpellat S. suam, ne patiatur tam insigne Imperatorum monumentum, à tot sacerdotiis sub tutela maiorum suorum defensum & conseruatum mensa Archiepiscopi Treuirensis incorporari vel vñiri, peritque, si quid tale concessum foret, illico reuocari ac cassari.

Et quantopere ea res euræ fuerit tum Cæsareae Maiestati, tum Vicario eius in Imperio Ferdinando Regi, patet ex quaternis eius epistolis ad Clementem VII. Ducem Suebanum Cæsaris Oratorem, ad D. Datarium, ad M. Petrum de Salamanca, quæ Num. 66. sub litt. A. B. C. D. exhibentur, vbi ex iisdem fundamen-  
tis & mandato Cæsaris Ferdinandus Rex instanter omnibus modis sollici-  
tat, ne effectum prætensa vñio sortiatur, in quibus tacite pertransiri non debet,  
quod in fine epistolæ ad Petrum de Salamanca indicatur, quod Philippus Mar-  
chio Badensis (Gubernator Luxemburgensis) ex mandato sibi à Cæsarea Ma-  
iestate expressè factò, nequaquam passurus sit præfato Archiepiscopo, Etiam  
si Monasterium impetrarit à S. Sede eius tradi possessionem.

Ferdinandus I. Imperator piissimus expedituit Notimbergæ nomine Caroli Cæsaris, cuius erat tunc in Imperio Vicarius confirmationem Iurium S. Maximini in amplissima forma, singulis dicti Monasterii Diplomatis ad verbum insertis, & nominatim vsu & cultura mineralium ei addito, habes illud Num. 67. Eiusdem Cæsaris nomine plures dedit Epistolas ad Archiepiscopum Richar-  
dum, ad Abbatem Vincentium, ad Ciuitatem Treuirensim, quas habes Num.  
68. sub litt. A. B. C. quibus reparationem & instaurationem dicti Monasterii à Constantino Magno & S. Helena conditi, serio commendat & promouet.

Maximilianus II. similiter omnia Iura præfati Monasterii recognouit, ap-  
probauit, confirmauit, vt est sub Num. 75.

Rudolphus II. idem præstítit sub Num. 76.

Ferdinandus II. gloriosissimæ memorie Imperator, in quo Numinis fauor  
vniuersam Augustissimæ familie Austriacæ Clementiam ac pietatem orbi ter-

rarum

rarum vno velut compendio spectandam proposuit, inter tot Imperii motus Cæsaream curam ac Vigilantiam in conseruando S. Maximini Monasterio esse non est passus.

Dum Abbatem modernum Agritium, Priorem, Conuentum ac omnes eius ditiones, in peculiarem suam protectionem recepit, vti exhibetur N. 84.

Dum eiusdem sacri loci, quem Illustre Imperatorum ac Maiorum suorum, & antiquissimum monumentum agnouit, Iura omnia confirmavit vti habes sub Nu. 86. vbi peculiariter id quod pridem ab Ottone Magno alijsque Imperatoribus concessum fuerat, confirmat vt modernus Abbas Agritius eiusque Successores Titulo Archicapellani Romanorum Imperatricis gaudeat ac vatur aliaque peculiaria priuilegia referre & concedere est dignatus.

Dum item ex singulari affectu & cura Monasterij vetustate, & auita Religione celeberrimi, vti loquitur, eius conseruationem, defensionem ac protectionem aduersus quascunque molestias aut perturbationes Philippo IV. Hispaniarum Regi Catholico tanquam Duci Luxemburgensi eiusdem sacri loci & Iurium inde dependentium Aduocato & Protectori commendauit, ab eoque conseruari præcipiendo mandauit, vt videre est Nu. 87.

Dum denique ab eo, eiusque supremo Consilio Aulico sententia lata est, per quam in Iudicio contradictorio, quæstio tunc iterum mota de subiectione immediata dicti sacri loci in possessorio est decisa, quam libet proferre.

*S. 5. Sententia à Ferdinando II. glorioſiſimæ memoriae,  
eiusque Consilio Aulico lata.*

**L**otharius Archiepiscopus Treuirensis Anno MDCXII. apud Matthiam Cæsarem querelas depositus, quod Abbas S. Maximini eiusque subditi exactiones sive subsidia in Imperio concessa soluere & præstare ipsi derrectarent, cum tamen allegaret dictum Abbatem & Subditos ipsi immediate subiectos, & se in possessione Juris eos collectandi esse assereret. Mandatum itaque à Cæsarea Maiestate obtinuit, quod sub N. 85. videre est.

Contra quod Abbas pro tempore S. Maximini Responsiones & exceptiones suas eoram Consilio Aulico Cæsareo proposuit; Archiepiscopo è contra suas Replicas proponente, auditisque partibus ac omnibus earum documentis, rationibus ac firmamentis, ventilatis, examinatis, discussis per tredecim rotos annos, sententia demum Anno MDCXXVI. solemniter, & cum omnibus formalitatibus lata est, qua mandatum prædictum cassatum fuit, annulatum & decretum in ordinario possessorio, vt tam Archiepiscopus, quam eius Successores ab exigendis eiusmodi collectis deinceps abstineret, & desuper idoneam & sufficientem cautionem præstaret. Abbas vero contributiones & indictiones immediate Imperio solueret, sicuti alij immediati Imperij Status, sententiam hic ob oculos tibi ponere visum est.

In Sachen weylandt Herrn Lotharij an jett Herrn Philips Christoffen Erzbischouen zu Trier/ des Heiligen Reichs Churfärsten/ u. an einem/ gegen vnd wieder auch wen- landt Herrn Reinerum jett Herrn Agritium Abtien des Gottshaus S. Maximin/ vnd desselben Gottshaus Underthanen am anderen die geflagte aufzkehende vnd künftige Landsteuren vnd darüber aufgewurcktes Mandatum sine clausula betreffendt/ ist allem furbringen nach zurecht erkent/ daß solches Mandatum zu Cassiren vnd auß- zuheben/ innassen es auch hiemit Cassirt vnd vffgehoben wirdt. So dann ist weiters

in ordinario possessorio caulam principalem betreffendt/ erkent/ das flagender Herr Erzbischoff vnd Thurfurst/ auch dessen nachkommen sich hinsuro des angemessen Stewrens zu enthalten/ vnd deshalb grusame Caution zu thun/ dagegen beflagter Herr Abe/ seine Nachkommen vnd seines Gottshauses Vnderthanen alle hiffen vnd anlagen dem Reich so jederzeit bewilliget ohne mittel/ gleich wie andere ohnmittelbare Reichs- Ständi zu erlegen vnd zu bezahlen/ auch alles anders was andern unmittelbar Reichs- ständen zu laufen vnd zu thun oblige/ zu thun vnd zu laufen schuldig/ vnd die zu beeden theilen auffgelöfene Gerichtskosten auf bewegenden Ursachen gegen einander verglichen vnd Compeniert sein sollen.

Signatum zu Wien vnder Ihrer Majestät ausgedrucktem Secret  
Insiegel/ den dritten Augusti Anno Sechszehn hundert Sechs vnd Zwanzig.

Latine ad verbum sic sonat.

*In Causa quondam Domini Lotharij nunc vero Domini Philippri Christophori Archiepiscopi Treverensis Sacri Imperij Electoris &c. ex una, Contra & aduersus etiam quondam D. Reinerum, nunc Dominum Agritium Abbatem Monasterij S. Maximini eiusdemque Subditos ex altera, in litem deductas cessas & futuras Provinciales contributiones, & a propter obtentum Mandatum sine Clausula, concernente, productis omnibus consideratis iure decisum est, mandatum illud cassandum ac annullandum, ut & hisce cassatur ac annullatur. Præterea in ordinario quoque possessorio causam Principalem concernente decisum est ut Actor Dñus Archiepiscopus & Elector eiusque Successores deinceps a prætensis contributionibus abstineant, & desuper sufficien- tem cautionem præsentent, e contra Reus Dominus Abbas, etus Successores, illiusq; Monasterij subditi omnia subsidia & indictiones quovis tempore Imperio concessa, im- mediate sicut & alij immediati Status Imperij præstare ac facere tenentur, præsentent ac faciant, expensis judicialibus hinc inde factis iustis de causis mouentibus com- pensatis.*

Signatum Vienne sub S. Ces. Majestatis Impresso Secreto Sigillo, tertia Augusti Anno 1626.

Hac vna sententiâ regnante sanctissimo Imperatore à sapientissimo Consilio latâ, merito omnis dubitatio de lute S. Maximini sublata fuit. Nihilominus agrè illam tulit Eminentissimus Archiepiscopus Philippus Christophorus malè à suis informatus, adeoque ipsi vilum fuit via facti contra Ius dictamque sententiam procedere.

Sed piissimus Cæsar literas dedit ad Serenissimam Isabellam Infantem Belgij Moderatricem quibus prædictam sententiam illi notificauit, commenda- uitque secundum hæreditariæ Aduocatiæ & protectionis debitum, non pate- retur quidquam ab alte memorato Philippo Christophoro Archiepiscopo contra dictæ sententiæ tenorem attentari, Epistolam habes sub N. 89.

## SECTIO II.

*Fdem probatur ex notis certis immediati Status Imperij.*

**S**SENTIA cuiusque rei per proprietates eius inuestigatur & proba- tur immediati Imperij Romani Status notæ ac proprietates hoc & superioribus seculis, vt constat ex rei natura & Imperij Recessi- bus, constitutionibus ac ordine, habitæ semper fuerunt sequentes; nimirum ad Imperij comitia vocari, in iis sessionem & suffragium habere Regalia & in his Iurisdictionem, feuda & dignitatem immediatè à Cæ- sare & Imperio accipere. Ita enim de iis loquitur Carolus V. Cæsar in Augusta-

nis

nis Comitiis de anno 1548. §. wann auch vbi in immediatis Imperii Statibus has qualitates requirit, die Standt und Stimm in Reichversammlungen und Lähen vom Reich hetten: id est, qui sessionem & votum in Imperii conuentibus & feuda ab Imperio haberent.

Et quidem feudarium esse Imperii, tanti semper factum est, ut olim penes eiusmodi Ius eligendi Imperatorem esset; certe ab Archiepiscopis, Episcopis atque Abbatibus Imperii feudataris & electum fuisse Ottonem IV. & Philipum Imp. luculentis testimonii probat Baronius, ad annum 996.

Prædictas igitur notas & proprietates in Abbe & Monastetio S. Maximini reperiri, ordine nunc ostendendum est.

*§. 1. Abbas S. Maximini ab omni memoria ad Comitia Imperialia citatus fuit.*

**H**oc in Cancellaria Imperij notissimum est, nequè probatione eget, posse sentque proferri innumeræ citationes ad singula Imperij comitia, quas etiamnum Archivium S. Maximini seruat, quarum breuem relationem multis alijs omissis habes N. 77. Vnde constare potest à centum sexaginta circiter annis Abbates pœne quadragies ad comitia euocatos.

Non tamen hic prætereundum, quod licet ad Comitia Imperialia euocati sint Prælati Maximiniani tanquam reliqui Imperii Status immediati, tamen non fuerint aut non sint obligati comparere nisi Moguntiam, Coloniam, Metas ad generale Concilium sive Colloquium aliqua necessitate cogente fuerint initati. Ita habet expressè priuilegium S. Henrici Imperatoris sub N. 20. Quod S. Henrici priuilegium confirmarunt Imp. posteri, Carolus IV. Wenceslaus, Maximilianus I. Carolus V. & alij. Id autem Priuilegium eo firmius est, quia in oneroso contractu fundatur, fatetur enim prædicto loco S. Henricus Imp. se eam gratiam, seu potius compensam facere Maximinianis Prælatis, una cum alijs Priuilegijs ibidem concessis, ob ingentem illum agrorum numerum, quem Sancto Maximo abstulit, & S. R. I. Proceribus & Militibus infeudauit. Hoc ipso Priuilegio frequenter vñ sunt Prælati, illud Anno MDXXVI. Abbas Vincentius Imperialibus Registris vna cum aliorum Imperij Statutum Priuilegijs inseri & incorporari fecit, postquam idem Vincentius Anno M. D XX. vi eiusdem Priuilegij sese excusasset Vicario & Regimini Cæsareo, quod citatus tanquam membrum S. R. I. ad conuentum Imperiale non comparuisset, & hinc etiam patet, quomodo factum quod in Recessibus Imperij nomen Abbatis rarius reperiatur, quod scilicet in alijs ferè Vrbibus, quam Colonia, Moguntia, Metis superiori saeculo Concilia celebrata sint, ad quæ licet Abbas euocetur & conscribatur semper, tamen vi Priuilegiorum suorum poterat ire vel non ire, prout factum frequentius ad Priuilegij vigorem conferuandum.

*§. 2. Abbas S. Maximini ad Comitia admissus fuit in ijsque suffragium habuit.*

**I**D quoque publicè notum est, & apud Aulicum Imperij Concilium probatum, & doceri posset ex instructione data Doctori Hieronymo Veussen, qui ad Comitia Imperialia Norimbergam Anno MDXXII. profectus, à Præ-

lato Maximiniano per litteras Imperiales tanquam Statu Imperii citato nomine Monasterii habuit Procuratorum & sufficientem potestatem. Idemque doceri potest tum ex simili Procuratorio, quod concessum Officiato S. Maximini Theodoro Scipioni von Krietschen & Claudio Musiel, pro parte Abbatis Petri, ad Comitia Anno MDLXVI. euocati, profectis, tum etiam ex ipso eiusdem anni Imperiali Recessu, in quo nomen Abbatis eiusque missorum appresum reperitur. Idem doceri potest ex Procuratorio alio, quod Abbas in simili causa impertivit Ioanni ab Hattstein Catholicæ Maiestatis Luxemburgi Consiliario, quando ad Comitia Imperialia Ratisbonam Anno MDCII. profectus nomine Monasterii accepit pleni potentiam. Sed & Anno MDCVIII. ad Dietam Imperialem suo nomine alegauit Abbas Reinerus illuc conscriptus, quendam de conuentualibus suis Nicolaum Nouilanum, adiunctis illi Praefato Ioanne ab Hattstein, & Georgio Millæo Leuchtenburgensi Consiliario iuxta ac Cancellario, qui Nicolaus sessionem & suffragium consuetum inter Imperiales Status habuit, registratus in Moguntina Archicancellaria. Item & Anno MDCXIII. ad indicta Comitia misit idem Abbas Reinerus & Coadiutor eius Nicolaus conuentualem suo nomine, Dominicum Wissendorff, cui ad iunctus fuit Engelbertus de la Neuforge Regius Consiliarius & Procurator Generalis Luxemburgi.

*S. 3. Abbas præfatus ab Imperatore & Imperio Feuda  
Jurisdictionem & Regalia accipit.*

ID notissimum est, & ab ipsis Archiepiscopis propria confessione agnatum. Et probatur adhuc per ea omnia Diplomata, quibus Imperatores Regesque sibi potestatem in Abbatiam priuatiè quoad cæteros omnes retinuerunt, quibus Abbatii ac Monasterio, feuda, Regalia, Curtes siue Curias Iurisdictionesque concederunt ac donârunt: Ita ut in bonis Monasterij vix quicquam reperire sit, quod ab Imperatoribus, Regibus, supremisque Principibus immediate ad Monasterium per beneficium non processerit, ab Archiepiscopis vero ne hilum quidem.

Probatur itidem per ipsa Maximiliani I. Diplomata Anno MCCCC LXXXV. expedita, per quæ Imperator Archiepiscopo mandauit, ut Imperatoris Imperijque nomine ac authoritate Abbatem de feudis Regalibusque inuestiret, siue inuestituras renouaret: Abbatii vero ut eadem feuda ac Regalia praedicto modo, Imperij scilicet Imperatorisque nomine & vice ab Archiepiscopo deinceps reciperet. Vnde sequitur feuda ista ac Regalia ab Imperio moueri, & Archiepiscopos tanquam Procuratores & Commissarios Imperatoris ad dictas inuestituras renouandas constitutos, de quo alibi latius.

Neque vero Mandatum hoc & Commissionem grauter tulerunt Abbates, quippe, quorum nihil intererat per Imperatorem ipsum, an per eius Procuratorem & ipsius Imperatoris Imperijque nomine & vice ab Archiepiscopo inuestituras acciperent; quin imò è re ipsorum erat à molestis ad aulam Cæsaream Professionibus hoc pacto liberari.

Quæ clarè omnino demonstrantur documentis sub Num. 51. & seqq. exhibitis, vbi etiam habetur forma Regalium, quibus Ottoneum Abbatem Ioannes Archiepiscopus primum inuestiuit. quæ forma deinceps seruata est ab eodem Archiepiscopo Ioanne Anno MDII. circa Abbatem Thomam Ottonis Suc-

cessor-

cessorem: & circa Abbatem Vincentium Anno MDXIV. ab Archiepiscopo Richardo à Greiffenclau Anno MDXXVI. circa Abbatem Ioannem Cellis, Vincentij Successorē; ab Archiepiscopo Ioanne ab Isenburg Anno MDXLIX circa seipsum tanquam Abbatem Commendatarium. Idem confirmatur ex formula Iuramenti Abbatis in susceptione Regalium fieri solita, & ab ipso Isenburgico seruata, qua manifeste Abbas fidelitatem iurat Imperatori & Imperio, ut videre est Num. 52. & N. 57.

Ex quo sanè sequitur evidenter Abbatem S. Maximini in Iurisdictione regalibusque esse Vasallum Imperij, & cùm præterea votum & sessionem habeat in Conuentibus, cum esse Statum & membrum Imperij. Vbi notandum est quod in inuestitura instrumentis vocatur **INSIGNE** membrum, quo non vulgaris aut simplicis, sed præcellentis membra qualitas indicatur. Quod & alijs subsequentibus immediati Status notis particularius elucescat, his scilicet.

*S. 4. Abbas S. Maximini habet singularem Dignitatem in Imperio nimirum Archicapellani Romanorum Imperatricis officium.*

**H**oc enim verò solum sufficere arbitror, cur Monasterium censeatur & sit **INSIGNE** S. Rom. Imperij membrum, quod in Imperatoria Aula illustri officio Palatino eius Abbas sit insignitus.

Eiusmodi officia non nisi immediatis, & illis quidem eminentibus statibus annexa sunt. Ita videmus Archiepiscopos, Electores esse Imperij Archicancellarios, Regem Bohemiæ Archipincernam, Ducem Bauariæ Archidapiferum, alios inferiores Principes & Status inferiora officia exequi, & non modò Imperatori sed & Imperatrici Romanorum suos esse officarios Palatinos, cuius Archicancellarium esse Abbatem Fulensem constat.

Equidem eos Principes & Status, qui eiusmodi officia in Imperio Imperato risque aula obeunt singularibus prærogatiis, priuilegijs ac immunitatibus gaudere, etiam antiquæ Imperatorum Leges multipliciter sanciunt, ut videre est in Codice Iustinianæ Tit. de Palatinis factatum largitionum. Item de priuilegijs eorum, qui in sacro Palatio militant: Immunitate enim digni sunt, quos Imperatorij lateris comitatus illustrat. L. vnic. C. de præpositis laborum.

Iam verò Abbatem S. Maximini esse Imperatricis Archicapellanum, idque à septingentis propemodum Annis & ad Reginam ac Imperatricem confirmandam & benedicendam perpetua lege constitutum.

In Imperio quidem receptum & notum esse constat ex Frehero in notis ad Petrum de Andlo l. 2. c. 7. Vischero in disc. de Elect. concl. 39. n. 222. Antonio de Yepes in Chron. S. Benedicti T. 2. Cent. 2. c. 2. alijsque scriptoribus, sed ex documentis & diplomatis à nobis exhibitis firmiter probatur.

Nam sic habet Ottonis Magni Rescriptum, *Decernimus atque iubemus, ut præfatus Abbas S. Maximini Villeherus, omnesque sui Successores prædictæ coniugi nostræ Adelheidæ scilicet, imperatrici, alijsque post illum Reginis & Imperatricibus ad Capellam, ad mensam in Curia seruant &c.* Et deinde, *Quotiescumque ad Regalem Curiam venerint, de Regia mensa pascantur, & inter Curtiales ac domesticos Regis & Regine, qui Regio cibo vescuntur non insimili semper habeantur, prout decet illum sacrissimum locum & prouisores & ministros illius Ecclesie, per quam cuncti Reges & Imperatores per vicissitudines temporum, cum suis Conjugibus in*

*Regnum & Imperium confirmabuntur.* Vide Num. 10. Similia habet Henricus III. siue Niger in Rescripto Moguntinensi Anno XLIV. sub N. 22. Similia quoque habet Jmperator Henricus IV. siue SENIOR in Rescripto Triburensi Anno MLXVI. sub Num. 27.

Ab illis ergo temporibus Abbas S. Maximini de familia Jmperatoria fuit, & semper ipsi Veleius Agenti, quoties aderant, locus Curialis fuit seruatus, Reginasque & Jmperatrices Prælati benedixerunt, & in Regnum & Jmperium confirmarunt, vt videre licet in litteris prædictis circa S. Adelheidem Ottonis M. Coniugem, Agnetem Henrici Nigri, Bertam Henrici SENIORIS. Vnde & Jmperator Ferdinandus II. gloriofissimæ memorie eam S. R. J. dignitatem Abbatibus S. Maximini confirmauit per Rescriptum de Anno MDC.XXVI. quod vide sub Num. 86.

Ea etiam causa à Regibus donata sunt Palatina tempora Abbatibus Maximiniis, vt Abbatii Williherio Francofurture S. Salvatoris fundatum à Ludowico Germ. Rege, Lotharij Imp. fratre, prout liquet ex Francofurtensibus litteris Ludouici Regis Getm: & Lotharii prioris Ludouici Filii ad Abbatem Williherium de Anno DCCCLXXX. quæ hodieque extant. Item Theonisuianum à Ludouico Pio Imp. ædificatum, datum Ogoni Abbatii ab Henrico Av. C. V. P. E. prout ex litteris Ottonis M. Moguntinis de Anno DCCCXL. sub N. 7. & alijs eiusdem Ottonis Colonienibus de Anno DCCCLXVI. quæ hodieque extant.

Delata est autem benedictionis nuptrialis & consecrationis dignitas Prælatis Maximiniianis, vel ea causa potissimum.

I. Quod S. Maximinum semper insignem Imperij & Regni Protectorem qualem in viuis, talem etiam defunctum in Cœlis Imperatores & Reges experti essent, vnde & Ludouicus PIVS Imp. vocat S. Maximinum *Sanctissimum Confessorem Christi, protectorem nostrum*, cui fortissimi & fortunatissimi quique Reges & Imperatores maximè semper studuerint, quemque in beneficium & auxiliarum recognitionem muneribus, donis, priuilegijs amplissimè ornarint: scilicet Dagobertus, Pipinus, Carolus M. Henricus I. Otto M. S. Henricus, Rudolphus I. Maximilianus I. Carolus V.

II. Quod S. Maximinum Augustæ Generationi Prolique Regiae vel maximè benignum & propitium crederent. Sic enim in citato Diplomate loquitur Henricus III. *Vt per hanc prædictam Abbatiam omnes Reges & Imperatores cum Coniugibus suis propaganda sibolis incrementum, & Regiae potestatis ac dignitatis semper percipient testamentum.* Et Henricus IV. *Vt per prefatam Abbatiam s. Maximini omnes Reges & Imperatores ac Coniuges illorum Regiae dignitatis ac propaganda sibolis accipiant fundamentum.* Quod bene eum intelligeret Fridericus IV. Austriacus Imperator, placuit illi de nuptijs inter filium Maximilianum, quem in spem Imperij & Austriæ Magnitudinis genuerat, & inter Mariam Burgundicam, quam Orienti Occidentique olim consociando Belgium tulerat, tractare cum Carolo AVDACE in Monasterio Maximiniano, fortunatosque Sancti Maximini genios coniugio Austriaco-Burgundico conciliare, quippe sapientissimus Princeps, more veterum & Maiorum conceperat illius Ecclesiæ Auspicio spem certam magni illius Augustorum incrementi, quod læti nunc miramur, & propagandæ Imperatoriaæ & Regiae sibolis, que nunc regit orbis frena rotundi. Cui ut DEVS Opt. Max. S. Maximini interuentu æternum confuetas benedictiones perennet, vna voce supplicamus.

Huic verò titulo consequens est & annexum, quod summi Principes & Im-

pera

peratores huius Abbatiæ fructus & seruitia S. Rom. Imperii Regibus, & Imperatoribus debita, Imperatricibus olim veluti dotem quandam assignarunt. Ita ante annos septingentos Romano Pontifice Maximo Ioanne XIII. approbante, statuit ac decreuit Otto Magnus in Diplomate supra citato his verbis, *Abbas omnesque sui Successores seruitum, quod in secundo semper anno de eadem Abbatis dictante iustitia daturi sunt sibi* (id est, Imperatricibus) exhibeant.

Per hanc igitur Abbatiam se dotasse Imperatricem Otto Magnus profiteretur, eamque proinde à dote Regni vetat villa ratione auelli, aut alteri persona subiici. Idem de Regni dote statuerunt & approbarunt Henricus III. qui & Niger dictus est, in Diplomate sub Numero 22. & Henricus IV. siue Senior sub Numero 27.

Ex quibus colliges Dotis nomen multis saeculis ante Ottonis Mænum & ab ipso, quin etiam exordio & prima Monasterii origine ipsi adhæsisse. quo nimirum à magnis Principibus indicabatur Monasterii illius statum ita Imperio inuinculatum & annexum, ut nulla potestate ab illo diuelli & alienari posset, quemadmodum de fundis & rebus dotalibus lege cautum est.

*§. 5. Abbas S. Maximini habet supremam sub Imperatore Iurisdictionem.*

**I**URISDICTIONIS illius supremæ actus hosce exercuerunt & exercent Abbates.

Primus, quod in suo Territorio & Statu ad Maximianos Ciues & incolas certas constitutiones & leges pro bona politia fanciuerint: cuiusmodi sunt leges quæ concernunt homicidas, mutilatores & occultatores rerum alienarum &c. conditæ ab Abbe Thoma, & publicatae per Monasterii officiorum supremum Præfectum Joannem Plait de Longuich Anno MDVI. Item quæ concernunt hospitia & hospites &c. latæ ab Abbe Joanne de Cellis Anno MDXLVII. Item Statuta Judicialia (vulgò vocant *Undergerichts Ordnung*) concernentia ordinem Iudicandi, & Juris dicendi, condita & promulgata ab Abbe Ioanne de Cellis Anno MDXLV. quæ etiam Ioannes ab Isenburg, vti Abbas Commendatarius confirmauit & obseruari fecit Anno MDL.

Secundus, quod Abbas supremam habeat Judicaturam, per quam non modo in Criminalibus, sed etiam in causis ciuilibus vltimò iudicat, ita ut ab eius sententia aliò appellari non possit; nisi cum materia & questionis grauitas meretur, vt ad Cæsarem vel eius Imperiale Cameram causa deuoluatur, quod illi cum summis Imperij Statibus est commune. Habet porrò plurimas in sua ditione curias Abbas subalternas & infimas, à quibus ad Tribunal ipsius, quod ipse constituit ex quatuordecim Iudicibus siue Scabinis, appellatur. Ab hoc vero non datur vterior causa deuolutio, nisi ad Cameram Abbatis vel Cæsaream Spirensim: Iudicat igitur Abbas vltimo ressorto, siue per arrestum ut loquuntur in multis causis, prout status immediati & eminentes in Imperio solent. Ethoc nimirum est, quod Imperatores olim Diplomatis suis & Priuilegijs stabiluerunt, dum vetuerunt ne quisquam in ditione Abbatis placitum habere, id est, Ius dicere, præsumeret, ut videre est passim in Diplomatis exhibitis, præcipue Caroli Magni sub Numero quarto, Ludouici Pij Numero quinto, Lotharij Numero 6. Ottonis II. sub Numero 16. & Ottonis

III. sub Num. 18 & aliorum. Exstat etiam Diploma Henrici III. sub Num. 24. quibus Abbatii soli conceditur confiscatio bonorum eorum, qui capitis damnatur ob furtum, latrocinium &c.

Ex supra dicta Iurisdictione emanat quoque potestas illa decernendi in traditione Maximiniana mensuras, vlnas, pondera &c. quæ omnes inferiores curiæ à supremo Abbatis Tribunal accipiunt.

Eodem pertinet, quod edita Imperij, siue in Comitijs Imperij, absente non nunquam Abbatie, sancita, siue à Concilio Aulico vel Cæsarea Camera emanata semper immediatè transmissa sunt ad Abbatem subditis publicanda, ut plurimis documentis ostendi potest, & nominatim posteriorum Imperatorum Maximiliani I. Caroli V. Ferdinandi I. Maximiliani II. & consequentium mandatis, quæ in Archiuo nostro hodieque in Originali exstant: utpote de Friderico Saxoniae Duce constituto per Germaniam Cæsareo Vicario dum Imperator Coronationis causa in Italiam pergeret. Item, ne quis militet Regi Franciæ & Carolo Egmondano: de non educendis equis in Italiam & Franciam: de modo in negotio Religionis obseruando usque ad Concilium Generale. De non tolerando iterato Baptismo & Anabaptistis: De non tolerandis militum conscriptionibus in Imperio sine licentia Cæsar, de que Germanoru militia apud exterros: de grassatoribus siue peditibus, siue equitibus in Imperio compescendis &c. Sic quoque Camera Imperialis Anno MDXXI. Abbatii eidem transmisit pacis profanæ (*deß Landsfriedens*) articulos, vna cum constitutione de successione Nepotum publicanda in Maximiniano Territorio. Quibus innumera similia habemus, quæ coram Tribunal Cæsareo exhibita & recognita fuerunt, ita ut ijs enumerandis inhærere superfluum sit.

### S. 6. Territorium S. Maximini à Treuirenſi est separatum.

In Iurisdictioni præfatae suum quoque responderet Territorium, quod habuit semper Abbas S. Maximini proprium, proprijs legibus gubernatum, omnimodè diuersum à Territorio Archiepiscopi, planè prout solent, qui sibi inuicem non subiectiuntur, & proprias omnimodèque discriminatas Respublicas constituunt: vnde & in Priuilegio Conradi Salici sub Num. 21. fit mentio expressa *Prædij S. Maximini*, & in Priuilegio S. Gregorij II. Pontificis sub Num. 2. *Allodij S. Maximini*. Namque initio Abbatia S. Maximini non in fundo S. Petri, seu Ecclesiæ Treuirenſis, ut spargit Scriptor anonymous ex fundamento quod infra nullum esse ostenditur, sed in fundo Imperii, atque etiam in Palatio Imperatoris constituta est. Qui fundus & habitatio ita appropriata est Maximinianis ut Constantinus Magnus, alteri persona noluerit eam habitationem subdere, nisi suæ Successorumque Imperatorum potestati, ut habent verba Dagobertini Diplomatici Num. 1.

Similiter succedentes Imperatores Romanique Pontifices vocarunt Monasterium hoc, *Imperiale familiam*, ut habet Otto M. in Rauennatenſi Diplomatici, sub Numero 15. *Regalem & Publicam Abbatiam*, ut habet idem Otto in Ingelheimenſi sub Numero 15. *Regalis Abbatie familiam*, ut habet Henricus NIGER sub Numero 24. *Regalem locum*, ut habet S. Gregorius II. Papa in Romano sub Numero 2. & Ioannes XV. in Romano sub Num. 17. *Regalem* seu *Regiae Dotis Abbatiam*, ut habet Otto MAGNVS in Romanis sub Num. 11.

& Hen-

& Henricus Nicer in Treuirensi sub Num. 24. vnde Sigismundus Imperator in Rescripto Vlmensi ad Civitatem Treuirensem Anno DCCCCXXXIV. de Monasterio S. Maximini hæc habet. *Unser Kloster S. Maximini/ S. Benedicti dicens Ordens vßerhalb der Mür zu Trier gelegen/ da eines Römischen Käyser's vnd Königs Cammer sein soll: nostrum Monasterium S. Maximini, Ordinis S. Benedicti extra muros Treuirensis situm, ubi Romani Imperatoris & Regis camera est. & Fridericus IV. Imperator Austriacus in litteris Francofurtensis sub Num. 47. Monasterium S. Maximini dicit, Romani Imperij speciale domum, & reseruata Cameram omnium Imperatorum & Regum Romanorum extitisse & esse. Et mox infra, Esse suum & Romani Imperij speciale habitaculum. Idem & gloriofissimæ memoræ Ferdinandus II. in suis Viennensis sub Num. 86. afferit in hæc verba, S.R. Imp. specialis Domus ac reseruata Camera existit. Per Cameram autem non nemo Jurisconsultus intelligit hic speciale illam Monasterij cum Regno & S.R. Linuinculationem, quæ supra Dotis nomine exprimitur, ita ut Monasterium, eiusque fundi, sint quoddam intimum Camerale Imperij bonum inalienabile, & nulli, nisi Imperatori in temporalibus obnoxium.*

Habuit autem olim Monasterium ampla suburbia in toto illo agro, qui à Monasterio ad Vrbem protendit quique etiamnum ad Monasterium pertinet, neque est fundus Electoris, sed fundas Imperij. Talia quondam erant illa suburbia Maximiniana tempore Sigismundi Imperatoris hostiliter exusta in obsidione Sickingana, quando muri Maximiniani, suburbij euersi, arbores incisa, ciues Maximiniani spoliati & fugati, plures quam decem fontes & putei in vicis & plateis Maximinianis oppleti, domus XXIX. vel plutes exultæ & funditus euersæ, multæque alia damnificata ante portam S. Simeonis in fundo & districtu Maximiniano. Hoc queritur Imperator Sigismundus in dicto Vlmensi Diplomate, vbi sic loquitur. *Ist unser vnd ihr Vorstatt bey demselben Kloster gelegen abgebrennet vnd grundlich zerstört/ die Brunnen gefülltet / vnd die Hoffstatt also gestrafft/ daß man mit oder kummerlich bekennen kan/ je ein Haus/ Mür/ oder anders da gestanden seye/ ic, nostra & eorum suburbia, tuxta idem Monasterium sita, exulta sunt, & funditus euersa, fontes oppleti, & habitationes ita disiectæ, vt non possit nisi difficulter cognosci aliquando ibi fuisse edes, muros, & alia &c.*

Post Sigismundum saeculo sequenti Abbatem S. Maximini vrsit Carolus V. Imperator, litteris Norimbergensis Anno MDXXIII. vt Monasterium immediatè Imperio subditum, quod conflagrauerat, tanquam domum Imperij speciale ocyus repararet, ex cuius neglectu singulare damnum sequatur Imperatori. *Nie allein dem loblichen Gottsdienst so durch Unsere Vorfahren im Reich Käyser Constantium vnd sein Mutter S. Helenam aufgerichtet/ vnd bisher Ehrlich gehalten worden ist zu abbruch/ sonder auch Uns/ vnd dem Heiligen Reich/ dem solch Gotteshaus ohn mittel vnderworffen/ vnd sunderlich Uns/ als Römischem Käyser/ an der Lasten Vogtrey vnd Schirm (wo mit stattlich einsehung gehan) zu nachteil rathen wird. id est. Non solum laudabili cultui divino, qui per predecessores nostros in Imperio Imperatorem Constantium & eius Matrem S. Helenam institutus, & hucusque decenter obseruatus est, sed etiam nobis & S. Imperio, cui tale Monasterium immediatè subiectum & singulariter nobis tanquam Romano Imperatori quoad Ecclesiasticam Aduocatiam & tutelam (nisi præstanter attendatur) in detrimentum & prejudicium ceder. habes illas N. 64. Ex quibus disces, quanta semper cura Imperatores attenderint, vt Monasterium S. Maximini, tanquam singularis antiquissima, nobilissima, sanctissima, Imperij domus, integrum conseruaretur, & quocunque etiam modo destructu & lœsum, quam decetissime illico repararetur.*

Vnde & Wenceslaus Imp. facta in destructionem Monasterij S. Maximini, ait, facta in praejudicium Sacri Imperij, vide etiam eius mandatum sub Num. 43. vbi Maximinianos artifices, tanquam separatos à Treuirensibus subditos protegit.

Eodem spectat, quod s̄p̄ius ab Imperatoribus constitutum fuit & confirmatum, vt subditi Maximiniani non nisi inter se matrimonia contrahant, nisi forte velint ex familia S. Petri, idq; cum consensu Imperatoris coniugem assumere. Vide Diploma Henrici III. sub N. 24. Henrici V. sub N. 30. quibus plura similia proferri possent, quod ideo statutum arbitratur, ne subditorum territorijque Iura confunderentur.

S. 7. Idem Abbas in causis ciuilibus & temporalibus  
soli Cæsari subiicitur.

**N**Otorium & irrefragabile est, Abbatem apud solum Imperatorem, eiusq; Tribunal conueniri posse, si quæstio, aut lis ei circa temporalia moueat. Eiusce rei plurimos habemus & exhibuimus Actus; quorum vnum alterumq; referre sufficerit. Habemus citationem Wenceslai Romanorum Regis, emanatam à Consilio eius aulico Pragæ Anno MCCCLXXXV. qua Abbas, Prior, Decanus & Conuentus S. Maximini citantur, vt coram dicto Consilio certo die compareant, vt ad querelas Christiani von Marchen respondeant. Extant Originales Catoli V. datæ Augustæ Anno MCXXX. 26. Septembribus ex quibus patet Moniales Hospitalis S. Ioannis Treuiris, cùm ob venditionem non solemnizatam haberent causam contra Abbatem apud Cæsarem, velut ordinarium eius Iudicem supplicasse & actionem intentasse. Item ex antiquioribus Wenceslai Imperatoris, datis Confluentæ Anno Regni Rom. XXII. quibus docetur Capitulum & Decanum Maioris Ecclesiæ Treuirensis ob non solutos prætensos redditus propter pecuniam ad censum acceptam, contra Abbatem supplicasse Cæsari, velut ordinario Abbatis Iudici.

S. 8. Alia quædam eminentia Abbatis Regalia.

**A**B Imperatoribus nonnullæ maiorum Regalium species Abbati prædicto concessæ reperiuntur, quæ non nisi insignibus Imperij membris concedi solent, cuiusmodi sunt monetaria, vsus & cultura mineralium, Ripaticum, Telonia, munitiones &c. quæ illi concessæ sunt, iam abhinc septingentis prope annis, & quædam etiam ab annis octingentis, pridem, antequam Treuienses Archiepiscopi S. R. I. Electores essent.

Probantur autem ista concessæ Maximinianis quoad monetam eudendam & telonium ex Rescripto Ingelheimensi, Ottonis III. Imp. vbi dicit, *Ob remedium animæ nostræ ac parentum nostrorum, Ostrado Reuerendo Abbati de S. Maximino, suisque Successoribus largiti sumus, concessimus & perdonauimus Ius, potestatem, securamque licentiam, mercatum & monetam construendi, faciendi & tali legitimo stabilitatis ordine, ut idem Abbas, tam ipse, quam sui Successores in sua liberali potestate teneat, regat & perpetualiter habeat idem mercatum cum moneta, & telonio, & totius Reip. functione & dispositione.* Et mox, *Quicunque autem huius nostræ autoritatis, concessionis & potestatiæ perdonationis, contradictor & violator in aliquare extiterit, sciatisse componere nostrum bannum, &c.* Item ex Rescripto Henrici NIGRI Imper: dato ex Botuelt, anno MLVI. ad Theodori-

cum



cum Abbatem, in quo eadem verba leguntur, quæ in Rescripto Ottonis, mutatis tamen mutandis. Hochabes sub Nu. 25.

Quoad concessionem autem, usus & culturæ mineralium itidem Maximilianis factam, probatur ex rescripto Maximiliani I. Imp. dato Treuiris, vbi dicit, *Addentes insuper & concedentes ipsi (Abbatis S. Maximini, de eo enim est Sermo) & Successoribus suis usum & culturam mineralium*, illud habes sub N. 61.

Item ex Rescripto Caroli V. Imp. per Vicarium Ferdinandum Fratrem suum, dato Norimbergæ, mutatis mutandis, verba similia sunt verbis Maximiliani supra, vide sub Num. 67.

Quoad Ripaticum, & quoad telonia, præterquam quod ab omni memoria notorium sit, probari ratiōne potest Cæsareis Abbatum inuestituris *de fluminibus*, itemque antiquis documentis & priscis paginis epidigmatis (Scheffen Weisturnb vocat) testibusq; omni exceptione maioribus plura docētibus de peculiari Maximilianiorum Telonio in Mosella, de Iure vadi in vtraque ripa, de Pharo, besondern Zoll auf der Mosel, vberfahrens gerechtigkeit vff beeden vfferfahrrhaus, de potestate maleficos ibidem submergendi, corpora submersa inde eleuandi, Weisheitige personen darin zu etrencken / thote Körper darin zuerheben / de regijs vijs in territorio Maximiniano, Landstrassen im Maximinischen gebiet. Ad quæ omnia sic prædicta concessio Dagoberti conformatur, qua regiam curtem Decimam hodie Detzem, cum adiacentijs & pertinentijs donauit. Vide donationem sub Num. 1.

Quoad munitiones, probatur I. ex antiquissimo S. Gregorij II. documento, in quo habetur iuxta Regum & Imperatorum priuilegia, vt nullus Dux, nullus Comes, nulla persona Ecclesiastica, siue Mundana in possessione vel allodio S. Maximini Monasteri siue Rupem capere, vel munitionem in eis facere præsumat, nisi forte Abbas eiusdem Monasterij, propter metum Paganorum, vel propter incursionem malignorum hominum ad tempus, donec tranquillitas pacis redeat, se suos interim muniat, vide sub N. 2.

II. Ex litteris concambij, inter Sigifridum primum Comitem Luxemburgensem, & Abbatem Vikerum de Anno DCCCCLXIII. in quibus docetur Monasterium habuisse in edita rupe ad Alisuntiam munitionem Castelli, quod dicitur Lucelenburghut, hodie Arx Luxemburgensis. Originale litterarum adhuc superest.

III. Ex formula inuestitura Regalium, cum inuestiatur in ea Abbas de Oppidis, Suburbijs, Castris, Castellis, Rupibus, &c. vide eam sub N. 51. & seqq.

IV. Ex eo, quod ipsum Maximilianum Monasterium, velut oppidum separatum, fossas & mœnia sua in circuitum habuerit, vt etiamnum videtur, suburbia autem Maximiana habuerint suos limites in ipsis portis Civitatis Treuensis. In antiquissimis Theodorici Abbatis litteris ante DC. circiter annos editis, vocatur Monasterium S. Maximini *Castrum & Castellum S. Maximini*, eo autem nomine vocari *Oppidum* priscis temporibus, disces ex Turonensi, l. hist. 8. c. 15. vbi *Oppidum Iuodium* vocat Eposium *Castrum*, & ex testamento S. Willibrordi apud Scribanum in Orig. Antwerp. c. 5. vbi *Antuerpo* *Castellum* est *Oppidum Antuerpiense*, & ex donatione Rohingi Anno DCCXXV. facta, apud Miræum in Notis Eccl. Belgic. c. 15. vbi idem *Oppidum* vocatur *Castrum Antuerpis*, & ex literis Caroli Magni apud Miræum loco cit. c. 23. quibus *Vrbs Aquisgranum* dicitur *Castellum*. Litteras Theodorici habes sub Num. 28. quas lege, & disces Monasterium S. Maximini fuisse ab antiquis temporibus locum munitum, & oppidum suis proprijs mœnibus, portis excubij distinctum à Ci

uitate Treuirenſi. Ex antiquis quoque Originalibus doceri potest, de oppidi suburbijque Maximiniani viciſ & plateiſ varijs, v.g. de platea Tiliae, de platea tori, germanicè die Landtgaffen, die Martgaffen, de macello ciuium Maximinianorum &c. Adſunt litteræ de anno MCCCLXXVII. veneris post Ioannis Baptiſtæ Nativitatis, quibus inter Abbatem Roricum & Laniones Treuirenſes conuentum eſt, licet Abbas, prout aſterebat & reipſa faciebat, poſſet in Maximiniano municipio ſeu Burgo tot Laniones & Macella habere, quo illi liberet, nihilominus, ut exinde in Maximinianorum Burgo eſſent tantum quinque macella & totidem laniones, qui in ijs carnes venales proponerent, reſeruata tamen libertate S. Maximini Burgo, ut poſt mortem Abbatis Rotici liceret ciuibus Maximinianis tot habere macella & laniones, quo liberet, verba originalis ſic habent. Und ſein Wir mit ein alſo geschlichtet, das furbah als lang Wir gegeben in Sante Maximins Gericht, gewalt vnd Freyheit, fünff fleſchbenke, daruñ man fleiſch verkauffe, vnd fünff Fleiſchmeher, die daruñ fleiſch verkauffen, ſein ſollen, und nit mehr mit bechleiuſſe Unsern Nachkommen vnd Gottshuſſe na Unserm dodde, ob ſie der fleiſchbenke vnd Fleiſchmeher mehr in Sante Maximino Friſeide vnd gewalt haben wülden. Id eſt.

*Et ita inter nos conuentum eſt, ut deinceps quamdiu viuenimus ſub Sancti Maximini lufe, potestate & immunitate, quinque macella, in quibus caro veneat & quinque laniones, qui in iſdem carnem vendant, eſſe debeant & non plures; reſeruantes noſtris Successoribus & Monasterio poſt obitum noſtrum an plura macella & laniones in S. Maximini immunitate & potestate habere veſtent.*

### S. 9. Libera Electio Monasterio ſemper confirmata.

**A**MVLTIS ſæculis peculiariter curæ fuit Imperatoribus, ut Monasterio huic clectio libera Prælati, ſarta teſta maneret, proinde ea res meritò Regalibus & quidem maximi momenti accenſenda eſt. Neque vero eam rem Imperium tantopere cordi habuiffet, niſi Monasterium hoc Inſigne ſui corporis membrum eſſe conſtaret. Perpende Imperatorum diplomata a nobis exhibita, paſſim libertatem eligendi videbis conſirmatam. Nam præter Pipinum Regem ſub Num. 3. ita decreuit Carolus Magnus ſub Num. 4. Ludouicus Pius Num. 5. Otto Magnus in Moguntino Num. 7. Otto II. Num. 16. Otto III. Num. 18. S. Henricus Num. 19. Henricus Senior Num. 26. Henricus Junior Num. 31. & plures alij: in ſuper iij, qui prædictorum Imperatorum priuilegia & Diplomata conſimarunt.

Imperatorum voluntari Pontifices Maximi affensi ſunt, qui Abbatis in hoc Monasterio liberam Electionem eſſe voluerunt, vt ividere eſt in Bulla Gregorij II. ſub Num. 2. Ioannis XIII. ſub Num. 14. Joannis XV. ſub Num. 17. & luculentter in ea quam Innocentius II. conſeffit, vbi hæc verba leges, Obeunte vero te eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet Successorum, nullus inibi qualibet ſubreptionis aſtitia, ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu ſeu pars conſilij ſanioris ſecundum DEI Timorem & B. Benedicti Regulam præuiderint eligendum. vide Bullam ſub Nu. 33.

Quanto vero studio & cura impediuerint Imperatores, ſi quando per uniōnes vel incorporationes aliqui potentiores liberam Electionem extingueſe vel diuertere ſunt conati, apparet ex litteris Caroli V. Cæſaris N. 65. & Ferdinandi I. N. 66. Quod ratione Aduocatiæ & hæreditarij protectionis etiam Philippus II. Magnus ille Hispaniarum Rex cordi habuit, vt apparet ex eius ad Conuentum S. Maximini datis litteris Num. 71.

§. 10. *Titulus Principis, Abbatii S. Maximini tribuitur.*

**O**b prædicta omnia tam eminentia Regalia non immerito Cæsares, alijsq; magni viri Abbatem S. Maximini Principem nominauerunt. Ita Carolus V. Imp. in missiuā ad Ferdinandum S.R.I. Vicarium data Vallisoleti anno MDXXIII. Nu. 64. sub B. eidem Vincentio attribuit titulum Principis Imperij, *Dem Ehrwürdigen Unserm vnd des Reichs Fürsten vnd Lieben andächtigen & iterum, Einen Ehrwürdigen Reichsfürsten.* Ob cuiusmodi titulum & pauca concurrentia motiuā, Abbas S. Valerici Augustæ contra Episcopum Augustanum, cui tamen se subiectum in spiritualibus fatebatur, conseruatus est in immunitate & exemptione, quam quondam ab Imperatore Ludouico obtinuerat, sacroque Romano Imperio iterum insertus, quamuis in nulla vñquam S.R.I. matricula fuisset inuentus, & à centum annis immediate Imperio non contribuisset; ut videre est apud *Meischnerum decis. 50. num. 20.* Scivit & hoc Suffraganeus Treuirensis Io: Enenius, qui sciente & consentiente Richardo Electore Treuirensi, scriptis Monasterium habere *Abbatem Principem Einen gefürsten Abt.* Item Attilius Amaltheus Apostolicus Legatus de latere Athenarum Archiepiscopus, qui cum esset quæstio ut Maximiniani subditi soluerent contributiones Archiepiscopo, respondit non debere, eò, quod Maximiniani recognoscerent Abbatem Principem & Dominum suum. Item Maria Archiducissa mater Imperatoris Ferdinandi II glor. memoria, quæ in litteris Graciensibus Abbatem S. Maximini Principem appellauit. Certè toto fere Imperio Prælatus Maximinianus etiam hodie Princeps Imperialis inscribitur, licet ille ob modestiam domi titulum illum dissimulet.

Huic affine est quod Abbas Maximinianus, ut liquet non modo ex scriptis posteriorum temporum, sed & ex antiquis missiuis ad Imperatores etiam olim scriptis, *se per Dei gratiam Abbatem (von Gottes Gnaden)* semper inscriperit, & adhuc inscribat, quod tamen nemini conuenit, vel licet, qui inferiorem, quam S.C. Maiestatem immediate recognoscit.

Habuit quoque à multis sæculis Abbas S. Maximini nobiles, ipsi in varijs officiis in seruientes ob feuda ab eo recepta. Tales erant, supremus Oeconomus seu Præfector seu Marschalcus, Oberamptman dictus. Item Iudex feudalis *Manrichter* dictus: tales quoque erant Camerarius & Pincerna, quorum officia sensim in dessuetudinem abiisse videntur, vel propter temporum vel officialium difficultatem. De Militibus (id est Nobilibus, ita enim olim vocabantur, vel uno Cæsareo teste locis plurimis) ministerialibusque Abbatis, sine chlamyde Abbatii in seruientibus, vide litteras Comitis Conradi Num. 32.

Quam etiam ob rem sæpenumerò Abbatibus S. Maximini, Imperiales Commissiones ad lites inter Imperij nobiles exortas decidendas ab Imperatoribus datæ sunt. Moris autem in Imperio est, ut eiusmodi Commissarii nemo esse possit, nisi & ipse immediatum sit Imperij membrum & status. Porro Ottonem Abbatem Cæsaris mandato datum Commissarium in cauſa, inter prænobiles Wernerum Horneck ab Heppenheim, & Ioannem ab Hohenfels Dominos in Ripelskirch, probatur ex ipso Mandato Originali, quod exstat de Anno MCCCCLXXXIX. quibus alia plurima similia habemus.

S. II. Abbas S. Maximini semper matriculæ Imperij  
fuit inscriptus.

**E**X iis, quæ usque modo retulimus, ex ipsa natura rei & status essentia demonstratum est, Abbatem S. Maximini eiusque Monasterium esse membrum & Statum Imperii immediatum, idque sanè quam Insigne. Nunc idem ex effectibus, qui tales sequi solent naturam & statum, idem valide confirmabimus.

Et primò quidem in omnibus Imperii matriculis antiquis & quæ ac recentioribus, Monasterium S. Maximini iuxta muros Treuirentes inter membra Imperii, & Abbas eius inter Prælatos Imperii, qui immediate parent Cæsari, numeratur, ut videre est in S.R.I. matricula Augustæ Anno MDLVI. proposita, in qua inter Prælatos Imperii ponitur Abbas S. Maximini vigesimo quinto loco cum hac taxa Gibt zu Röß 3. zu Fuchs 22. zu vnderhaltung Jährlich 125. fl. Id est, dat equites tres, pedites viginti duos, & in æs consistoriale quotannis Centum viginti quinque florenos. Immo in matricula Imperii apud Mercatorem in Atlante in instructione ad tab. Germaniæ Venetiis reperta, quæ cum Imperio Germanico creditur cœpisse, habetur in tertio ordine Abbatum, loco tertio, Abbas S. Maximini iuxta muros Treuirentes: imo etiam in ea matricula, quæ Anno MDLXXVII. Francofurti reuisa & innouata est.

Est autem illa immatriculatio documentum & probatio manifesta, immatriculatum esse membrum Imperii, ideoque immediate Imperio subiectum & pari cum aliis inscriptis qualitate, iure ac immunitate dignosci, ut passim DD. tenent, & in Iure notum est.

Ridiculum autem est, quod aliqui dixerunt per errorem Prælatum Maximianum in Matriculam irrepsisse. Nam cum veritas sit irrefragabilis, ab immemorialibus temporibus Abbatem Maximianum fuisse comprehensum in S.R.I. Matriculis, & reuera in omnibus Matriculis Maximinus inuenitur; quid insolentius tali dicto? Inuenitur quippe in Matricula prima & initiali, ut supra dictum. Item in ea, quæ producta Norimbergæ Anno MCCCCLXVII. die S. Martini, quæ à peritioribus toto Imperio modo creditur fuisse prima: in repetita Ratisbonæ Anno MCCCCLXXI. in resumpta ibidem Anno MCCCC LXXXVI. in renouata Francofurti Anno MCCCCLXXXVII. in innouata ibidem Anno MCCCCLXXXIX. Iouis post Margaretæ. in repetita Norimbergæ Anno MCCCCXCI. in emendata Coloniæ Anno MDV. in reuisa Augustæ Anno MDX. in reiterata Wormatiæ Anno MDXXI. in resumpta Norimbergæ Anno MDXXII. in repetita Spiræ Anno MDXXVI. & iterum ibidem Anno MDXXIX. & Augustæ Anno MDXXX. & Wormatiæ Anno MDXLV. & instaurata Augustæ iterum Anno MDXLVIII. MDLI. LII. LVI. & iterum Anno MDLXVI. ut dictum. & Francofurti iterum anno MDLXXVII. ut dictum etiam: & sic deinceps, ut videre licet in Imperialibus Archiujs. Quis ergo per errorem irrepsisse dicat, quod ex antiquissimis Imperij libris depromptum, toties examinatum, instauratum innouatum est?

Et vero quis impediet de ceteris omnibus immatriculatis idem quemuis, si volet, obiecere, sed non ob dictum cuiusvis minor fides monumentis, actisque publicis constat. longè absunt, ut id auscultent Archicancellarius, Archiepiscopus, Elector Moguntinus, Fiscales rationalesque Imperij. Probationes eius, qui voluerit tantis & tot publicis monumentis contradicere, fortissimas

esse

esse oportuerit; nam error contra monumenta publica allegatus, nihil operatur absque probatione evidenti, vti DD. & Iura notissima clamant.

*S. 12. Similiter Imperij circulis est adscriptus.*

**E**odem pertinet, quod in antiquâ S. R. Imp. partitione in Circulos & status membraque Imperij, ponatur in Circulo sexto vel Rhenano Archiepiscopus Treuensis tertio loco, Abbas verò S. Maximini duodecimo, vtique tanquam Circuli illius particulare membrum, æquè distinctum contra Archiepiscopum, & æquè immediatè Imperio subiectum quam alia, quæ ibi enumerauntur Imperij membra.

Extat quoque antiquissima Regni Lotharici diuisio facta inter Karolum & Hluduicū Anno DCCCLXX in qua separati Status & territoria inter portiones Hluduici ponuntur, vbi præter Coloniam, Treueros, Vtrach, Strasburch, Basulam, &c. concurrenter, tanquam eiusdem qualitatis, numeratur S. Maximini Monasterium. Inuenies eam apud Pithœum inter Scriptores Gallicos veteres, apud Miræum in Codice Donationum, apud Haræum tom. i. Belg. Annalium &c. Hinc factum est, vt Prælati S. Maximini & quæ atque alij immediati Imperij Status & membra ad Circulares conuentus Imperialium Statuum fuerint conscripti & conuocati. Nam vt litteris pluribus bene authenticis & sigillatis ostendit potest, quoties fuere indicta Imperialia Comitia, semper à quatuor Electoribus Rheni, atque adeò etiam Treuensi, conuocatus fuit Abbas Maximinianus rāquam constatus & commembrum superioris Rhenici Circuli, ad cōsulendum in medium de communib[us] Circuli necessitatibus, & occurrentibus difficultatibus; quod factum non tulissent Electores Treuenses (qui tamen in illud consenserunt) nisi sciuisserent probè, Prælatum S. Maximini esse liberum & immediatum Imperij Statum, sicut alios, qui simili modo ex eodem Circulo conuocabantur.

In fidem dictorum, in manus fortè Scribenti occurunt litteræ, seu citatio Alberti Moguntiensis Archiepiscopi datæ Moguntiæ, Lunæ post Io. Baptizæ, Anno MDXLIII. quæ euocatur ex Comitis Palatini commissione Abbas Io. à Cellis ad Conuentum Circuli Rhenici Spiram. Item alia Friderici Comitis Palatini data Heidelbergæ X. Junij Anno MDLXIV. ad Abbatem Petrum, quæ euocantur homines Abbatis ad Conuentum & transvectionem militarem Circuli Rhenici Boppardia, in qua hæc signatae habentur: *Dan ihr in Reinschen Churfürstlichen Kreis auch gehörig so erforderen Wir als dieses Reinschen Kreis Obrister euch hiemit gnediglich. Item alia, quam Daniel Archiepiscopus Moguntiensis dedit Aschaffenburgi vltimo Nou Anno MDLXVI. Abbatem Petrum conuocans ad Conuentum Circuli Rhenici Bingam &c. Item alia eiusdem Danielis data Aschaffenburgi Anno MDLXVIII. vltimo Martij. Itē alia Electoru[m] Palatini & Moguntini coniunctim data Moguntiæ Anno MDLXVIII. Item quatuor aliæ Electoris Palatini datæ Heidelbergæ Annis MDLXIV. LXVII. iterato LXXI. quibus omnibus Prælati Maximiniani ad Rhenici Circuli Conuentus euocantur.*

*S. 13. Abbas S. Maximini cessante Exemptione immediate Imperio soluit subidia.*

**H**oc quidem, vti & alia supra posita de immediatione Status, clarissimè in Concilio Aulico probatum fuit hoc seculo, vti ex sententia, superiore sectione proposita & lata post questionem præcipue hoc super punto motam, est manifestum. Verum vt toti Imperio innotescat, quid Abbas s̄ep̄dictus

sæculis præteritis in præstatione subsidiorum Imperialium fecerit: Item qualis illi circa hoc immunitas & exemptio ab Imperio sit concessa, pauca è multis hîc referemus.

Cœrissimum igitur est Monasterium, Abbatem & ditionem S. Maximini, si quando subsidia aliqua Imperialia extraordinaria soluit, id immediatè Imperio præstitisse.

Id ex matricula seu taxa Imperij, de qua paulò ante egimus, clare constare potest. Item ex alijs certis & originalibus documentis probare possumus, diuersis temporibus pro extraordinariis Imperii necessitatibus subsidia eidem Imperio persoluta: veluti cùm, mandato Caroli V. anno MDXXIII. Norimbergâ ad Abbatem Vincentium transmisso, iussus est pro ædificandis, & fortis tectis conseruandis fortalitijs ad fines Hungariae ( zu erbawig vnd bauwlicher vnderhaltung der grans Festungen in Ungern ) certam pecunia tummam pendere. Similiter cùm iussus est Abbas Ioannes Cellis Anno MDXLIV. pro subsidio contra Turcam contribuere. Abbat quoque Petro Wormatiæ Anno MDXLVIII. in iunctum, ut æ bellicum contra Turcam, ædilitumque pro muniendis Imperij finibus solueret. Et harum quidem, aliarumque similium solutionum factatum, Quitantiæ sive Apochæ originales sunt præ manibus, quemadmodum etiam ingentes Cœsarearum & Regiarum literarum fasciculi, quibus Abbates iubebantur, vel ipsi coram cum suis copijs militiæ se se sistere, ut fere antiquiores habent literæ, vel mittere subsidia pecunaria, ut habent recentiores. Exhiberi possunt sigillatae, & plerumque ipsiusmet Imperatoris manu subscriptæ, quibus in bellum æ bellicum, æque consistoriale exigitur ab Abbat: Friderici quidc Imp. sex, Maximiliani I. octo, Caroli V. duodecim, Ferdinandi I. septem. Maximiliani II. septem, præter alia magno numero similia documenta, pro contributionibus Imperij ad Abbatem expedita à præcipuis Diætarum Imperialium Principibus, cùm Abbas abesset; à Comite Palatino tanquam Circuli Rhemensis capite; ab Archiepiscopo Moguntino tanquam Cœsareo Archicancellario: quæ omnes omnino litteræ non ad Electorem Treuirensim, sed immediate ad Abbatem expeditæ sunt.

Has ipsas tamen omnes, quantumvis extraordinarias collectas, contributio-nes, earumque exactionem & solutionem Monasterium grauiter semper sensit & reclamauit, cùm S. Henricus Jmp ( ut patet ex eius constitutione Triburensi anni MXXII. sub N. 20. ) cum consensu Benedicti VIII. Papæ, in præsentia plurimorum in Imperio Principum pro exemptione reciproce præstata accepérunt de Monasterij S. Maximini fundis & prædijs circiter sex mille, sexcentos, quinquaginta sex mansos.

Nomine Mansi autem intelligunt Iurisconsulti & familiam vnam rusticam, & tantum fundorum, quantum par boum anno uno colere valet, testor Bartholom, in l. si ita legatum ff. de auro & arg. & alibi paßim, Panormitanum, in c. sanctum de censibus & ibi gl. Innocentium, ibidem. aliosque, Christophorum Broerum lib. 3. ant. Fuld. cap. 11. quos tot mansos Imperator Henrico Duci Bauariae, filio Sigifredi, Comitis Luxemburgensis & Monasterij Aduocato, atque Ezzoni Palatino Comiti & Ottoni Comiti in beneficium dederit, sic enim loquitur: Nos ex Abbatia S. Ioannis Euangeliæ & S. Maximini, quæ in suburbio Treuirorum sita est, ubi Haricho Abbas preesse videtur, quasdem Curtes & Territoria, villas & possessiones, scilicet sex Millia sexcentos quinquaginta sex mansos, ut verius computari potuit, à prefato Abate in beneficium accepimus, & his fidelibus nostris, Ezzoni videlicet Palatino Comiti, & Henrico Duci, nec non Ottoni Comiti eā con-

ditione

ditione beneficia uimus, ut quia p̄fatus Abbas &c. Mox subdit hæc verba: seruitum quod nobis & quibusdam prædecessoribus nostris de eadē Abbatia ( S. Maximini ) in secundo semper anno persoluebatur, in perpetuum ignoscendo indulgemus, & indulgendo ignoscimus. Et ne quis Successorum nostrorum Regum & Imperatorum idem seruitum in periculum anima nostra ac sue inde ulterius exigat, nisi ea bona, quæ non tam in nostrum, quam eorum ( Imperatorum & Regum Romanorum ) seruitum inde distraxi mus ex integro reddat aut restituat, nostra Imperiali authoritate constituendo præcipimus & præcipiendo confirmamus.

S. Henrici dispositionem postea confirmarunt, & eius meminerunt Conrādus SALICVS Imperator, in Diplomate Treuirensi Anno MXXVI ad S. Popponem Abbatem S. Maximini sub Num. 21. in præsentia plurimorum Imperij Principum in hæc verba: Prædecessor noster, Henricus scilicet imp. excellentissimus ex p̄fata Abbatia ( S. Maximini ) curtes aliquas, & possessiones quām plurimas, usque ad sex millia sexcentos quinquaginta sex mansos, ut verius computari potuit, progredivt abstatit, & quibusdam fidelibus suis earatione beneficiauit, ut ipsi & ha redes eorum pro eodem Abbatem ( S. Maximini ) Successoribusque suis Regalem curiam peterent, & in expeditionem irent: Abbas vero susque Successores ab omni expeditione & Regali seruitio, Imperiali predicti Imperatoris Constitutione, liberi omnino existerent, &c. Moxque eā causā præcipit, ne quid deinceps Monasterium patiatur, sed reliqua bona ab Henrico relicta, ad usum Monasterij tantummodo applicentur.

Item Imp. Henricus NIGER, filius Conradi SALICI, in Moguntino Diplomate sub Num. 22. ad S. Popponem item Abbatem S. Maximini; vbi insuper eā causā constituit, ut quoties Abbatem ad Imperatorem accedere contigerit, id non Abbatis, sed Imperatoris expensis & sumptu fiat in hæc verba: Quia sub Henrico Imperatore ea bona illis ( Abbatibus S. Maximini ) ablata sunt, unde ad militiam ire, vel nobis secundo semper anno Regale seruitum persoluere, vel se suosque victitasse videbant, volumus atque constitui mus, ut quotiescumque ad Regiam venerint, siue vocati fuerint, de Regia mensa pascantur, & inter Curiales & domesticos Regis & Regine non insimili semper habeantur.

Item Imp. idem Henricus NIGER, in alio Treuirensi sub Num. 24. vbi postquam interuentu S. Leonis IX. Papæ, S. Maximini possessiones enumerasset, easque ad Monasterij usus corroborasset, mox in hæc verba prosequitur: Hec igitur loca & omnes S. Maximini Ecclesiæ cum decimis, dote & dotalibus, cum cunctis salticis Decimationibus, quas in usus peregrinorum ac pauperum, & hospitum constitui mus, ad peculiaritatem fratrum DEO ibi famulantium, more Prædecessorum nostrorum Regum & Imperatorum tali modo & ea ratione delegamus & corroboramus, ut sicut Henricus Dece ssor noster diu in memorie Augustus instituit, postquam de eadem Abbatia ea, quæ ad expeditionem, siue ad Regale seruitum pertinebant, abstulit, nullus Imperator, nullus Rex &c. de iisdem locis &c. quicquam vel ab eorum ( Maximianorum ) iure distrahere presumat. Mox sic concludit: Et ut hoc præceptum inde conscriptum firmum semper & stabile permaneat, non solum hoc manu nostrâ firmatum, sigilli nostri impressione insegniri iustimus; verum etiam, ut Apostolicæ defensionis auxilium, si quis eis hæc infringere voluerit, habere valent, predicti Patris nostri Domini, videlicet Leonis sanctissimi priuilegium inde conscriptum eidem Venerabili loco obtinere meruimus.

Item Henricus SENIOR Imp. in Diplomate Triburiensi habet similia, ijsdem prope verbis cum verbis Henrici NIGRI in Diplomate Moguntino iam proximè præcitato, prout videre est sub Num. 27.

Item Imper: Henricus IV senior in Diplomate Spirensi Num. 30. vbi in praesentia plurimorum Principum Imperiali autoritate omnimodis interdicit, tam Comitis & Ducibus, quam Aduocatis Monasterij, ne incisionibus vel petitionibus grauentur Maximiniani; moxque rationem addit, Quia sicut in privilegijs Genitoris nostri Henrici, aliorumque progenitorum nostrorum, Henrici atque Chouonradi, nec non Henrici p̄fissimorum Imperatorum inspextus, sex millia, septingenti quinquaginta & amplius mansi, unde Abbas (S. Maximini) in militiam ire vel Predecessoribus nostris, vel nostrae Regalitati in secundo semper anno seruire debuit, ad hoc beneficiati sunt diuersis fidelibus nostris, Ducibus scilicet & Comitibus, ut cetera, que ad Prebendam fratrum remanserant &c. liberè & quietè possedeant.

Eadem Carolus IV. Wenceslaus, aliquique consequentes Imperatores confirmarunt.

Id ipsum iam ante octingentos prope annos non ex oneroſo contractu, vt proxime precedentes Imperatores, ſed ex purè gratioſo, & mera liberalitate ſtituerant Carolini & Ottones: Arnulphus quidem Imperator in priuilegio quodam Ingelheimensi de Anno DCCCXCIII quod habemus, vbi postquam Maximinianorum poſſeſſiones enumerat, precepit & indulget, ut nec nobis (Arnulpho Imperatori) neque ulli (ex posteris alijs Regibus & Cæſaribus) qui hanc Abbatiam tenerit, aliquod seruitium impendant. Idem ſanciuit Zuentibaldus Rex, itemque Carolus SIMPLEX. Idem poſt Carolinos statuerunt Otto MAGNVS in Rauennatenſi, vbi haec notanda: Et quoniam Sanctorum familia Regis Ciuitatibus vel palatijs adiuncta (cuiusmodi Ciuitas & Palatium tunc erat Treuirenſis Ciuitas) Regalibus, aliorumque potentium interdum opprimuntur operibus, eadem opera ſupradicti Confessoris Christi (de S. Maximino fuerat locutus) familia, pro anima noſtra remedio, perpetualiter perdonauimus. Vide ſub Num. 15. Sic & habet Otto II. Imp. in Wormatiensi in haec verba: Et que (Monasterio S. Maximini) opera Imperialia vel comitalia a funditus perdonamus. ſub Num. 16. Item Otto III. Imp. in Francofurtenſi ſub Num. 18. Sed & idem habent in eadem verba illi ipſi Imperatores, qui oneroſo contractu ab omni seruitio Imperiali Maximinianos exemerunt, vt S. Henricus Imp. in Diplomate Aquisgranenſi ſub Num. 19. Henricus SENIOR Imp. ſub Num. 26. Carolus IV. Imp. in Treuirenſi, vnde verbo ad verbum ſuis inferit proxime precedentes Henrici SENIORIS, quas vide ſub Num. 39. Wenceslaus Imper. in Luxemburgensi Num. 41.

Verum cum puram illam gratiam & nudè gratioſum Priuilegium Maximinianorum S. Henricus Imp. fortè vidiffet ab alijs Imperij Statibus & Principibus minùs amico vultu ferri, quod inde existimarent ſe magis grauatos cenſuit oneroſo contractu immunitatem illam Maximinianorum firmandam, vti dictum eſt.

Has ergo ob causas Prælati Maximiniani ſemper diſſiculter ad Collectas & Contributiones Imperij ſeſe adduci permiferunt, præſertim idecito, quod tempore Sancti Henrici Imp. tam oneroſo contractu & tantâ ſummâ ſuam à Contributionibus & Imperialibus seruitijs exemptionem emerint potius, quam impetrârint.

Vnde Anno MCCCCLXXIV. cum Fridericus Imp. à Monasterio eiusque ſubditis seruitia exigeret bellica, &c. vt ipſe Abbas in persona cum curribus, equitibus, peditibus Monasterij, in expeditione Trapenſi aderſet, Antonius Abbas eodem Anno ultima Februarij pro oneri imperati relaxatione ſuppli-

cauit,

cauit, exhibuitque Sancti Henrici Imp. Diploma, aliorumque Impp. qui à talibus seruitijs Monasterium ex contractu oneroſo eximunt. Inde cùm Anno MCCCCCLXXXVIII. Fridericus iterum Ottonem, Antonij Successorem vocaret ad similia, ipſe Abbas accessit in persona Imperatorem, & onus deprecatus est, exhibitis diplomatis S. Henrici Imp. aliorumque Regum & Impp.

Superiori ſeculo Anno MDVIII. Abbas Thomas, cum à Monasterio DCCCCLXXXIV. floreni aurei pro expeditione Imperiali pterentur, ad Imperatorem Maximilianum ablegauit, qui Priuilegiorum Maximilianorum, torque Imperatoriarum Constitutionum memorem redderet, & contributio- nem deprecaretur. quod & factum: neque enim æquum rebatur optimus Imperator, emunitatem omnimodam tam oneroſo contraſtu, ut dictum ſupra, comparatam offendere: rogatus eſt tamen Abbas, vt in communī tanta necel- ſite leuius aliquid conferret quam quod imperatum erat, quod factum eſt.

Anno MDXIV. Abbas Vincentius, cùm Commissarius Imperialis ob contributiones Imperiales valde instaret, ita ſe vigore exemptionis prædictæ ſuſti- nuit, vt ab eo nihil Jure impetrare potuerit.

Anno MDXXII. Idem Vincentius, vi prædictæ exemptionis, ſe excusauit Vicario & Regimini Cæſareo, quod in Diæta & Comitiis communium necel- ſitatum causâ indictis non comparuiffet. Sciendum enim S. Henrici Exemptio- nem ex contractu illo oneroſo, non modò ab expeditionibus omnimodis que contributionibus Maximilianos absoluifſe, ſed etiam ab accessu ad Comitia & Conuentus Imperiales, niſi Moguntiam, aut Coloniam, aut Metas indece- rentur.

Anno MDXXIII. Idem Vincentius, vi prædictorum priuilegiorum obti- nuit, vt CXXV. fl. consistorialis pecunia (zu vnderhaltung Cammergerichts) ſibi remitterentur, eoque fine effecit, vt Monasterij emunitas & libertas in Imperiali Registratura cum alijs S. R. I. Statuum priuilegijs registraretur & incor- poraretur; prout adhuc haud dubiè in Imperialibus registris videre licebit. Ita- que in Comitiis Imperialibus declaratus eſt Abbas S. Maximini *Exemptus*, vi contractus initi à S. Henrico Imp. alijsque Impp. confirmati.

Anno MDXXVI. Abbas Ioannes Cellis prædicta Diplomata in Imperij Camerali Iudicio ob ſimiles prædictas cauſas edi & allegari fecit.

Quod autem aliqui Prælati contribuerint Imperio, eiusque Fiscalii aut Quar- storibus, poſt Constitutionem S. Henrici Imp. id tributum & datum eſt in caſi- bus maximè extraordinarijs & insolitæ necessitatibus, ex consideratione afflitti Rom. Imperii Status per incursiones Turcicas vel ſimiles, quoties Monasterio per domesticas rationes publico ſuccurrere licuit. Neque enim Maximilianis viſum fuit ſemper in rigore ſequi Constitutionem illam eximentem, ſed tunc ferè tantum, cùm aut domētica calamitas & penuria, aut non tanta publica neceſſitas ſuadebat viſum illius. Nam & in propria calamitate non intermis- ſerunt ſubinde ſuccurrere Imperii magnis neceſſitatibus, præſertim ex quo Tur- ca aliæque turbæ Europam agitare coeperrunt, temporibus fere Friderici ultimi Austraci. Exinde enim viſque ad tempora S. Henrici Imp. ob exemptionem ſupradictam, non comperio grauatos viſile oneribus Imperii. Pronæ autem voluntatis Maximilianorum in supremis Imperii neceſſitatibus, præclarum extat testimonium Ioannis à Metzenhausen Archiepiscopi Treuirensis, in Missiuſa de Anno MDXXXIII. ad Caroli V. Imperatoris priuatū Conſilium, vbi hæchabit: *Obedienti. e illorum (de Maximilianis loquitur) verum & memo- riale exemplum, quam reuerenter adhuc afflictissimi homines Gloriosissimum Im-*

peratorem vniuersalem Dominum nostrum clementissimum agnoscant, à victu ceteraque necessitudine sibi sumptus potius substrahentes, ut omnem ferme substantiam pro tam necessaria in Turcam expeditione liberalius erogarent. Ita ille.

Itaque licet taxæ matricularum, Indictionibusque Imperatorum inserti sint Maximiniani, ut reliqua immediata Imperij membra, tamen Iure particulari & Cæsarea Constitutione, ob grauem causam excipiuntur. Vnde spectata lege communi obligabantur quidem; sed per accidens ob priuilegium præsumtum ex contractu onerofo eximuntur. Agnouit hanc distinctionem Cæsar in articulis Diætæ Imperialis Augustanæ de Anno MDXLVIII. §. wan auch ein aufgezogener. Vbi afferitur esse in Imperio eiusmodi status, qui ratione priuilegiorum, libertatis, vel præscriptionis, ad contribuendum non tenentur, quos proinde in suis priuilegijs manutenendos & conseruandos ibidem constituitur.

S. 14. *Abbatem S. Maximini S. R. om. Imperio immediate subiectum fuisse ipsimet Archiepiscopi Treuirenses pridem facti sunt.*

**N**AM Ioannes à Baden Archiepiscopus in litteris Inuestituræ Abbatis Otttonis de Anno MCCCCXCIV. & Thomæ Abbatis de Anno MDII. dicit, Monasterium S. Maximini INSIGNE S. R. Imp. membrum existere. Item Abbatem Regalia &c. merum & mixtum Imperium, ac exercitum temporalis Iurisdictionis ab Imperio habere & exercere, quemadmodum sui prædecessores Abbates & habuerint, & exercuerint. vide Inuestitura sub Num. 51. 53. & seqq. Idem dixit Richardus Archiepiscopus in litteris Inuestituræ Abbatis Ioannis Cellensis de Anno MDXXVI. Idem scripsit, probante Richardo, Suffraganeus eius Enenius, & typis vulgavit. Nam dicit Maximinianos habere ein gesürsten Abt. Idem dixit Ioannes ab Isenburg Archiepiscopus, in litteris de Anno MDLIX. quibus ipsem Archiepiscopum Imperatoris Commissarius (vt habent litteræ prædictæ Isenburgici) sibi ipsi ut Commandatori S. Maximini per procuratores Inuestitaram facit. Sed & idem Isenburgicus in litteris Inuestitura suæ Henricum Buchel appellat, *Prefectum seu Officium Imperialis Abbatie & Monasterij S. Maximini, Amtman der Kaiserlichen Abtey und Gottshauß S. Maximini.*

Idem Isenburgicus in litteris ad Consilium Luxemburgense missis ex Wittenbach XIX. Nouemb. MDLIX. afferuit apertissime sequentia. Unser Gotts- hauß (erat enim Isenburgicus tunc Commandator S. Maximini) zu S. Maximini ist von vndenklichen zeiten her je vnd allwege für ein Prelatur vnd inuerlebt gelidt des Heiligen Römischen Reichs vnd sonderlich zu der zeit vnd auch vor etlichen hunderd Jahren vor der zeit daruon der Procurator General meldung thut vnd noch heutiges tags von meniglichen vnd zuvor ab der Römischen Kaiserlicher Mayestät gehalten wird. Dann vrleugbar wahr ist daß Ihre Mayestät selbst Unsere Vorfahren vnd auch uns bey zeit unserer Regierung als einen Standt des Reichs von wegen unsers Gotts- hauß zu denen gemeinen Reichsversammlungen beschrieben. Das sie vnd wir auch mit allen Reichs Steuren (die wir auch müssen erlegen vnd bezahlen) respectiuè angeschlagen vnd beladen worden: wie dan auch Ihre Mayestät zu ihrer jüngsten Kriegsübung vnd volberichter expedition wieder derselben Rebellen vnd ungehorsame von uns als diser zeit Commandatarien jetzt gemelter des Reichs Prelatur zu S. Maximini hiff vnd Steur begern vnd erfordern lassen darin wir uns anch gehorsamlich erzeigt haben also daß Ihre Mayestät selbst uns für eine Prelatur des Reichs erkande. id est,

Nostrum

Nostrum Monasterium S. Maximini ab omni & immemoriali tempore fuit Pralatura, & S. R. I. incorporatum membrum, & præcipue illo tempore, & etiam centenis aliquot annis ante illud tempus, cuius Procurator Generalis meminit, atque etiam hodie ab unoquoque, & ante omnes à sacra ipsa Cæsarea Maiestate nostros antecessores, Pralatos S. Maximini, imò etiam nos, dum eam Pralaturam habemus, tanquam statum & membrum Imperij, propter Monasterium S. Maximini ad Imperialia Comitias euocatos. Item Antecessores nostros S. Maximini Pralatos, & nos ipsos etiam ad omnia Imperij subsidia & contributiones (quas etiam debuimus exhibere & soluere) respectuè fuisse sollicitatos & oneratos: prout etiam sua Maiestas in nuper a sua expeditione & bello contra rebelles Imperij suscepto à nobis, tanquam hoc tempore præfatae Pralatura S. Maximini Commendatario, auxilium & subsidium exigi & peti fecit. Quia in re nos etiam paruimus, ita ut ipsamet Cæsarea Maiestas nos pro Imperij Pralato agnoscat. Ita ex scriptum ex Originali, quod adhuc exhiberi potest.

Idem Isenburg. in aliis, quarum item Originale exhiberi potest ex Archivio Luxemburgensi, sic loquitur ad Imperii Status, sacramque Cæsaream Maiestatem in Comitiis Augustanis Anno MDL. etiam tum, cum iam lis cœpisset in Camera Spirensi ratione Exemptionis Monasterii inter Fiscalem & eundem Isenburgicum: Das vnlängbar war ist/ wie dan der augenschein solches klarlich aufweiset/ das dieselbige Abten S. Maximini in der vorstat Trier gelegen/ se vnd allewege ein Pralatur des H. Römischen Reichs gewesen/ demselbigen ic. mit sondermassen zugehan/ vnd von vnuerdenklichen Jahren in des H. Röm. Reichs Matriculen begriffen/ in allen des H. R. Reichs Collecten vnd anschlägen seine besindere Tax vnd anlag gehabt/ wie auch durch die gewesen Pralaten zur zeit selbst entricht/ ic. Die Pralaten zu S. Maximini sind auch zu allen Reichsversammlungen beschrieben/ wie sie noch heutiges tags beschrieben werden. Es haben auch die Römische Kaiserliche Mayestät den Pralaten zu S. Maximini als einen Pralaten des Reichs/ in der nechst vergangener expedition wieder Ihrer Mayestät wiederwertigen vnd Rebellen geübt/ zu erleichterung des Kriegs kostens/ wie dann andere gehorsame Reichs-Stände auch gethan: erforderl zu steur zu kommen/ das auch als gehorsamlich geschehen/ ic. Die Abten ist ein Pralatur des H. R. Reichs/ vnd haben die gewesen Aebt ihre Regalia bishero alweg vom H. R. Reich empfenglichen herbracht/ vnd in temporalibus niemand dann einen Römischen Käyser vnd das Heilig Römischi Reich erkennt. Item die Regerenden Pralaten daselbst in jederzeit die Bäpstliche Heiligkeit in geistlichen/ vnd weltlichen sachen allein die Kaiserliche Mayestät vnd das Heilig Reich für ihr Oberkeit ratione subiectio- nis bis vff zeit unserer ankunft erkent haben. Id est, Verum est ita ut negari non possit, sicut ad oculum clare paret, quod eadem Abbatia S. Maximini, que sita est in suburbio Treutrorum, fuerit semper & omnimodo Pralatura S. R. Imperij, eique singulari modo affecta, & ab immemorialibus annis in S. R. Imperij matriculis comprehensa, in omnibus S. Rom. Imp. collectis & indictionibus suam peculiarem taxam & contributionem habuerit, quam etiam omnes prot tempore Pralati penderunt, &c. Insuper Pralati S. Maximini ad omnes Imperij conuentus & comitia conscripti fuerunt, sicut etiamnum hodie conscribuntur. Ad haec sacra Cæsarea Maiestas Pralatum S. Maximini tanquam Pralatum Imperij in proximè elapsa expeditione, contra Maiestatis sue Aduersarios & Rebelles sollicitauit, quoad bellicorum sumptuum subleua- tionem, prout & circa alios obedientes Imperij Status factum est: petiuit ut substdio venirent, prout etiam obsequiose & obedientier à Pralatis factum est, &c. Abbatia est Pralatura S. R. I. & quotquot fuerunt Abbes, sua Regalia omni tempore usque modo à S. R. I. acceperunt, neminemque in temporalibus quam Rom. Imperatorem & S. R. Imperium recognoverunt. Item Pralati ratione subiectio- nis neminem agnoue-

runt,

runt, quām in spiritualibus summum Pontificem, & in temporalibus solum suam Casaream Majestatem & Imperium &c.

Jdem Isenburg in alijs, quē exhiberi possunt, sic loquitur ad Cef. Maiestatem de Monasterio S. Maximini: Das loblich Gottshauß S. Maximini S. Benedicten Ordens Ewer Radyerlichen Majestät vnd dem Heiligen Reich ohne allen mittel als ein furnemlichs gliedt desselbigen in weltlichen sachen zugethan vnd vnderworffen. Id eit, Laudabile Monasterium S. Maximini, Ordinis S. Benedicti, Vesta Casare & Maiestati & sacro imperio sine omni medio tanquam insigne membrum eiusdem in temporalibus obnoxium & subiectum.

Idem denique iterum Isenburg in alijs ex Sarburg ad Prefectum S. Maximini prefatum D. Buchel de Anno MDXLVIII. Febr. XII hęc habet: Die unteugbare warheit ist, darzu im fahl der nochturft wol zu beweisen, das ein Abt zu S. Maximini sampt seinem Gottshauß sonder mittel dem Heiligen Romischen Reich angehörig. Id est, irrefragabilis veritas est, casu quo opus, facile probanda, quod Abbas S. Maximini, una cum suo Monasterio, sine medio ad S. Rom. Imperium pertineat. Sic ille iterato & sepius cō maiori veritatis testimonio, quod magis eum Iura S. Maximini sciuisse credendum est, vt pote S. Maximini Commendatorem Prælatum, & eiusdem Monasterii Coadiutorem.

### C O N C L V S I O.

Ex dictis vtraque sectione huius capituli evidenter cuius à quo lectori innotescit, Abbatem & Monasterium S. Maximini eiusque Statum S. Rom. Imperio immediatè subiici, non solum vi probationis à tot instrumentis, documentis, rebus Iudicatis; verum etiam ex omnibus, quae excogitari queant, immediati Status proprietatibus ac notis, ex ipsis Archiepiscoporum agnitionibus & confessionibus, ac denique ex postrema illa Imperatoria & Maiestatis iudicatione ac sententia, quam anno MDCXXVI. in Aulico suo Consistorio, rebus omnibus seriò ac sollicitè examinatis & discussis, tanta solemnitate tulit.

### C A P V T   S E C V N D V M.

#### *Monasterium S. Maximini immediate Ecclesiastice Pontificis Maximi Iurisdictioni subiectum esse.*



E GAT hoc Scriptor anonymous initio libelli famosus, & quidem omnium mortalium primus, quod sciamus, hoc ita palam & publicè negare est aulus; poterat proinde dictum illius contemni tanquam muscæ alicuius circa summi Pontificis tiaram volitantis fusurus. Ne tamen posteritati, & minus in rebus nostris informatis relinquatur aliqua impressio veritati contraria, pauca adseremus huic veritati notissimæ confirmandæ opportuna. Futile autem, quo anonymous ille vtitur argumentum, parte secunda dissipabitur.

### S E C T I O . I.

#### *In primo suo exordio Monasterium hoc fuit sub Summo Pontifice immediate.*

C VM piissimus Imperator Constantinus Magnus conderet Imperiale nostrum Monasterium, voluit illud in Ecclesiasticis S. S. Apostolicæ, & quæ ac in temporalibus Imperio immediate subesse. Id ita gestum esse, luculentè

declarauit S. Henricus ante sexcentos & plures annos, dum in Diplomate Triburienſi, quod habes sub Num. 20. agens de hoc Monasterio dicit: *Apostolicam Sedem, cui idem locus sacratissimus sub antiquis temporibus Constantini Imperatoris & Helene Matris illius addictus esse dignoscitur, fiducialiter appellant.* Et vero, cum certum sit, hoc & superioribus ſæculis dictum ſacrum locum ita ſemper exemptionum fuſſe, & Pontifices omnes, qui de præfata exemptione loquuntur, eam ante multa ſæcula factam ſupponant, nec villa de contrario extet memoria, iudicium aut monumentum, pro certo habendum eſt, exemptionem præfati ſacri loci, cum ipſo initium omnino cepiſſe, & hoc Abbas Sancti Maximini in antiquissima poſſeſſione conſtitutus ſemper tuebitur, donec aliud probetur, quod nemo adhuc non modò præſtitit, ſed nec tentauit quidem.

## S E C T I O II.

### *Probatur eadem Exemptio ex Pontificum & Imperatorum Rescriptis.*

**E**xemptionem prædictam Bullis ſuis plurimi Pontifices ab omni memoria confirmarunt & stabiluerunt.

Gregorius II. in Bulla, quam vide sub Num. 2. vbi postquam confirmasset liberam potestatem per præcedentia ſæcula exercitam in Elecione Abbatis, ſic alloquitur Abbatem S. Maximini Basinum. *Nec aliqua cuiuslibet dignitatis persona infra Monasterium, niſi a te, alione Abbatte tuo ſuccelfore vocatus, quidquam pro ſuo libitu ordinare, vel temere exercere præſumat. Præterea Apostolica noſtra authoritate omnimodis interdicimus, ne cui unquam Eccleſia vel Sedi cum cambio aut aliquo ingenio ſubdatur, ſed tali immunitate & libertate, quali Regalia loca utuntur, inoffenſe & perpetualiter gaudeat.*

Agapetus II. qui vehementer defendit antiquissima Monasterij Iura, omni-que modo inhibet & prohibet, ne Ruopertus Archiepiscopus Treuirenſis, vel vlli eius Succelfores, Eccleſia Treuirenſi conentur ſubbere Monasterium; id enim vt idem ait Pontifex, iniuste conabatur Ruopertus, ſicut & ducentis poſtea annis, Albero idem conatus eſt; proinde antiquo Agapeti rescripto, reprimendus ab iniusto conatu, ſicut & Antecessor eius litteras Agapeti habes sub Num. 10.

Ioannes XIII. qui in ſuis Romanis de anno DCCCCLXVII. vbi potesta-tem Religioſorum circa liberam electionem Abbatis confirmasset, idem statuit quod ſupra S. Gregorius posuerat, *ne cui unquam Eccleſia vel Sedi &c. ſed tali libertate & immunitate, ſicut Prumiense Monasterium inoffenſe & perpetualiter perfruatur.* Erat autem tunc Prumiensis Monasterij fundatio adhuc in recenti memoria hominum, vt pote facta à Pipino Caroli M. Patre; proinde nemini ignotum erat Prumiām immediate ſubeffe Regibus & Imperatoribus in Temporalibus, Romano Pontifici in Spiritualibus. Itaque vt omnes præfertim antiquitatum minus ſcientes, rite intelligerent, quale ſit Monasterium S. Maximini, adhibetur exemplum Prumiensis Monasterij, litteras Ioannis XIII. habes sub Num. 14.

Ioannes XV. qui in litteris Romanis indictionis XV. sub Num. 17. eadem verba habet, que S. Gregorius & Ioannes XIII. posteriora tamen non nihil ſic variat, *Sed tali libertate & immunitate ſicut Prumiense Monasterium, ceteraque Regalia loca inoffenſe & perpetualiter fruatur.*

S. Leo IX. qui in litteris de Anno MLI. postquam prolixè ſtabiliuſſet iura

& possessiones Monasterij, vult omnia à se præcepta seruari ; iuxta id, quod S. Apostolica Sedi iure subiectum esse debet, & sub mundiburdio Regum & Imperatorum constat. sub Num. 23.

Innocentius II. qui in Romanis de anno MCXL. confirmatus priuilegia Maximinianorum dicit, se concedere, ut Ecclesia & Venerabilia loca, maximè quæ ad speciale Ius & singularem proprietatem S. R. I. spectant, specialioris prærogatione fortiantur honorem, & Apostolicae autoritatis munimine roborentur. Quonobrem &c. Deinceps enim bona S. Maximini recenset, eaque cum Monasterio sub Apostolicae Sedis tutela & protectione suscipit & priuilegio communis. Mox addit eadem propè verba quæ supra Gregorius & Ioannes uterque posuerant, hæc videlicet, idem locus nulli unquam sedi vel Ecclesiæ subdatur, sed sub S. R. Ecclesiæ tute & Patrocinio & Imperatorum mundiburdio seu iustitione consistens ea libertate & immunitate fruatur, quam idem Monasterium à S. Pontificibus & Imperatoribus noscitur habuisse &c. Bullam habes sub Nu. 33.

Alij deinde Pontifices, qui in terminis habent hæc verba, *Monasterij S. Maximini Romana Ecclesiæ immediate subiecti*, vt expressè habent Romanæ litteræ Nicolai V. de anno MCCCLII. prid. Idib. Octobris, in quibus quartò id habetur, variata nonnihil phrasis in hæc verba, *Monasterium S. Maximini extra muros Treuirenses ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinens*. Item eiusdem, aliæ Romanæ de anno MCCCLXXIII. in quibus dicitur, *Abbas & Conuentus Monasterij S. Maximini extra muros Treuirenses Romana Ecclesiæ immediate subiecti*. Idem habetur in alijs eiusdem de anno MCCCC LXV. Idem habent Alexandri VI. Romanæ de anno MCCCC XCIII. Item eiusdem Romanæ aliæ de anno MDII. Item Pij Quarti Romanæ de anno MDLXIV. & Pij V. de anno MDLXX. Item Leonis X. de anno MDXIV. Item Clemencis VIII. de anno MDXV. Item Gregorij XIII. plures Romanæ de anno MDLXXXI, in quibus habetur, *Monasterium S. Maximini Sedi Apostolice immediate subiectum, prope & extra muros Treuirenses*. Item Romanæ Gregorij XV. de anno MDCXXI. in quibus ait. *Ceterum istud Christianæ pænitentia ac sanctimonia domicilium, Sedi Apostolicae immediate subiectum, patrocinio nostro semper tuebimur*. Summa, posterioribus sacerulis plurimæ sunt tales litteræ sub hac clausula: *immediatè & sine medio*, in qualibet noti Abbatis electi confirmatione à Pontificibus expeditæ, quarum exemplaria sub N. 58. habes, in quibus præfatum Monasterium semper dicitur immediate S. Sedi subiectum, atque eiusdem Abbatii electo, vt tali, à Pontifice Max. confirmatio conceditur.

Pontificibus Summis magno numero ad stipulantur Imperatores, qui in Rescriptis suis ea de re amplissimè testantur, vt supra copiosè ex eorummet verbis ostensum est.

### SECTIO III.

#### *Certissimis Indicijs & notis eadem exemptio demonstratur.*

**M**anifestè quidem per supradicta & sufficientissimè probata est omnimoda Monasterij S. Maximini in Ecclesiasticis exemptio & immediata S. Sedi subiectio; sed & insuper ex usu ipso perpetuo, & ab omni memoria exercita praxi Ecclesiæ euincitur, per sequentes notas & indicia.

Primò, quia quoties nouū Abbatem in dicto Monasterio eligi contingit secū

dum

dum Regulam S. Benedicti, & antiquo usitato more, Electus à Summo Pontifice, non autem ab Archiepiscopo Treuirensi confirmationem petere tenetur.

Quam confirmationem quoque S. Sedes cum magna solemnitate, Electio-  
nis processu in Consistorio Cardinalium examinato & discussso, concedere est  
solita, expeditis eum in finem sex Bullis, quarum prima est Absolutionis, secun-  
da Confirmationis, vtraque ad Electum directa, tertia verò ad Conuentum,  
quarta ad Vasallos Maximilianos, vt eādem Electum pro Prälato & Domino  
respectu agnoscant & colant. quinta ad Imperatorem, vt Abbatem ac Iura  
Monasterij tueri ac protegere velit: ex quo etiam probatur & confirmatur ea,  
quam præcedenti capite demonstrauimus immediata subiectio secularis re-  
spectu Imperatoris & Imperij. Sexta ad Electum, qua illi fit potestas accipien-  
di benedictionem à quocunque voluerit Catholico Antistite gratiam & com-  
munionem Sedis Apostolicae habente. Quarum omnium Bullarum formulam  
& exemplar habes sub Num. 58. & innumeratas eiusmodi in singulis Abbatum  
Confirmationibus concessas, continet Archivium nostrum.

Hinc autem euidenter probari, Abbatem esse immediatè S. Sedi Apostolice  
subiectum, & ab omni Episcoporum Iurisdictione plenè exemptum, Iure no-  
tissimum est, quo passim statuitur Abbes Electos, exemptos à S. Sede Apo-  
stolica, non exemptos ab Episcopis quibus subsunt confirmari. *Textus & gl. in*  
*c. Si Abbatem. c. cupientes. de Electione in 6. c. Nihil §. Ceterum c. cum Monasterium.*  
*& ibi Panorm. n. 1. & 3. de Electione. Textus & gl. in Can. hoc tantum 18. q. 2. c. cum*  
*olim de Mator. & obed. & ibi Panormit. c. Venerabilem, de Electione. & communi-*  
*ter DD. Sylvester v. Abbas. Petrus Bayfus in directorio Elect. cap. 23. nū. 3. & 5. Sua-*  
*rez Tr. 8. de Religione lib. 2. cap. 5. num. 25. cum alijs pluribus. Layman lib. 5. Tr. 9.*  
*cap. 13. §. ult.*

Secundò, quia Abbas in actu benedictionis sive consecrationis Iuramentum  
solemne edit, quo S. Sedi Apostolicae fidelitatem promittit: quod manu sua  
subscriptum, mox ad S. Sedem transmittere tenetur, quod est sub Num. 19. Cu-  
ius iuramenti formula penè ad verbum conuenit cum ea, quam Gregorius Pa-  
pa III. prescripsit & corpori Iuris Canonici est inserta c. Ego N. de Iureiuran-  
do. Cuiusmodi Iuramentum praestari ab Episcopis & Abbatibus Exemptis  
dumtaxat Ius & DD. docent. c. dilecti, de Mator. & obedient. Panormit. in c. Ego  
N. Episcopus. de Iureiurando.

Tertiò eandem benedictionem sive consecrationem Abbas Electus, non ab  
Archiepiscopo Diœcesano, sed à quocunque voluerit Episcopo Catholico ac-  
cipit, atque eum in finem Bullam expressam supra allegatam S. Sedes ei mittit.  
Si Abbas & Monasterium Diœcesano subesset, certè ab illo benedictionem pe-  
tere de Iure teneretur. cap. Statuimus, de supplenda negl. Prælatorum.

Vnde factum, vt cum Anno MDLXV. ad benedicendum Abbatem Petrum,  
Gregorius Episcopus Azotensis Archiepiscopi Treuirensis Suffraganeus, à  
Conuentu Maximiliano inuitatus fuisset, & rumor spargeretur actum benedi-  
ctionis ex commissione Archiepiscopi ab illo perfici, deinde vero à Priore &  
Conuentu immutatio aliqua formulæ Iuramenti obseruata fuisset, solemnibus  
protestationibus prædictus Abbas, Prior & Conuentus, eorumque Officiatus  
sele opposuerint, quarum exemplum habes sub Num. 60. è quibus intelliges  
quibus artibus iam olim Iuribus Monasterij insidiatum fuerit.

Denique hinc quoque Monasterij exemptione probatur, quod Archiepisco-  
pus nullum omnino Iurisdictionis actum in illo unquam exercuerit; vnde si  
quando religioso Conuentui utilis vel necessaria aliqua visitatio est visa, eam

nunquam p̄eregit Archiepiscopus, sed Legati Apostolici, vti recenti memoria est factum Anno MDCX, per Attilium Amaltheum Archiepiscopum Athenarum, & Anno MDCXXI, per Antonium Albergatum Vigiliarum Archiepiscopum.

Episcopos autem, & multò magis Archiepiscopos Monasteria sibi subiecta certis casibus & temporibus visitare posse, vt cum Abbas officio suo decesset ex Concilio Tridentino notum est, & postea tradunt DD. Panormit. in cap. Pastoralem, num. 6. de officio ordinary.

Quæ omnia ita ab omni memoria vsu perpetuo inviolabiliter seruata, omnimodam Exemptionem Monasterij cuiusq; lectori clarè manifestant.

### C A P V T T E R T I V M.

#### *Aduocatiam seu Protectionem Monasterij S. Maximini esse Ducum Luxemburgensium.*

**D**E hoc capite tria nobis potissimum probanda sunt: primum, Protectionem seu Aduocatiam prædictam inde ab origine Comitum & Ducum Luxemburgensium, Augustæ eorum familiae semper, usque in hodiernum diem adhaesisse. Secundo, eam supremam ac vniuersalem fuisse, & ad quævis dicti Monasterij bona extensam. Tertio hereditario & successionis Iure à maioribus ad posteros semper eam descendisse, quæ tria totidem Sectionibus persequar.

### S E C T I O I.

#### *Enumerantur Comites & Duces Luxemburgenses S. Maximini Aduocati.*

**C**VM nomine Comitis Luxemburgensis arcta etiam necessitudo & coniunctio illius cum S. Maximini Monasterio orta est.

Constat ex antiquis monumentis eo fere loco, vbi hodie Luxemburgum est, olim fuisse Castra Romanorum Lætorum Lingonum dicta, quæ deinde Lucilinburgum, corrupta voce vulgo nominata sunt; iis vicinam fuisse spelulam dictam Lucilinburgh, ut quasi custodiam Lucilinburgi, quæ structa fuit in eodem omnino loco, vbi hodie veteris arcis ruinæ spectantur. Carolus Martellus illustrissima Arduennatis sanguinis propago, Anno Christi DCCXL I Witmaris Ecclesiam (hodie Weimerskirchen Luxemburgo omnino vicinam) cum Lucilinburgo & Lucilinburghut (quorum ruinæ infra fines Parochiæ Witmaris Ecclesiæ continebantur) tum & Petrisolam (hodie Steinsel) & Cumiciacum donauit Monasterio S. Maximini, ob miraculosè sanitatem sibi à S. Maximino restitutam, ut habetur in vita S. Maximini n. 12. à Lupo ad Waldensem Abbatem conscripta, qui annis fere centum post hanc donationem vixit. *Vide etiam Baronium, ad A. 741. n. 15.*

Sigefridus Comes, cum latè in Regione Arduennate dominetur, atque Ditioni suæ opportunum animaduerteret Lucilinburgum, vna cum specula in rupe inaccessa quondam constructa circa Annum DCCCCLXIII. vtrumque

vna

vna cum vicino agro pridem à Carolo Martello donatum, ab Abate Wickero & Maximinianis acquisiuit, bonis suis in Viulna (hodie Feulen) in Comitatu Arduennate in commutationem datis, prædictumque Castellum authoritate Regali in Comitatum erexit, & se suosque Comites Lucilinburgenses exinde dixit; autorizante omnia S. Brunone Archiepiscopo Coloniensi, & Ottonis Magni nomine Lothariense Regnum administrante. Permutationis istius instrumentum, etiamnum in originali exstat.

Fecit hæc permutatio & Sigefridi in primis virtus, vt non modò tellus & solum Maximinianum, sed & simul singularis & hereditaria defendendi Maximinianos voluntas, in Luxemburgenses Principes Sigefridi posteros, cùm Luxemburgo migrasse videretur; nam exinde supremam Aduocatiam Monasterij, nulli nisi Luxemburgenses Comites & Duces obtinuere, quamuis etiam nonnullos Sigefridi auos, & ascendentis ac propinquos eadem Aduocatia insignitos fuisse, non obscuris argumentis doceri possit.

Sigefridum porrò primum Luxemburgensem Comitem fuisse Aduocatum S. Maximini, patet, primò Ex donatione Vodæ Comitis, Vxoris Gozilini ex nobilissimis Regni Lotharij, quæ dedit sua bona S. Maximino *in Friesingen, Aspet, Emringen, Filsdorff,* pagis circa Luxemburgum anno DCCCCLXIII. cui donationi primus inter Aduocatos & Saleburgiones simul apponitur Sigefridus Comes ante Richuimum Comitem, & Hildradum notissimum ex plurimis instrumentis Monasterij Aduocatum, vtique tanquam Aduocatus supremus & Princeps, ipsum originale Vodæ Comitis exhiberi potest.

Patet secundò ex donatione Egberti Archiepiscopi facta S. Paulino anno DCCCCLXXXI. Treuiris, quam inter ceteros qui interfuerunt, subsignauit etiam Sigefridus sic enim ibi habetur. *Signum Luzonij Præpositi & S. Theodorici Comitis, &c. S. Sigefridi Comitis & rerum S. Maximini Aduocati, S. Ottonis &c.*

Fuit & ea causa haud dubiè, tanquam peculiariter deuotus S. Maximino prædictus Sigefridus in eiusdem sancti templo cum Vxore Hattwige ante altare S. Clementis sepultus, cum inscriptione, quæ etiam hodie exstat, & nuper in reparatione Ecclesiæ sepulchro eius aperto, geminæ prægrandes in Sarcophago reperta sunt claves, quibus peritiores Aduocatiam geminam, quam habuit, tam in Monasterio Maximiniano, quam in Epternacensi, significatam volebant, iuxta ea quæ de clave & similibus habentur in Iure.

Senescente Sigefrido, vna etiam Henricus seu Hezelo Sigifredi natu maior cognomento SENIOR, qui postmodum factus est Dux Bauariæ, Maximinianam Aduocatiam, tanquam Comes Luxemburgensis, siue eius primus heres administravit, vt manifestè liquet ex donatione Berthæ Comitis, Vxoris Wolmari Comitis, quæ S. Maximino, anno Christi DCCCCXCVI. dedit Mutfurdt, duabus horis pagum distantem Luxemburgo ad Siram, in qua dicit Folmarus Abbas, *omnia gessimus Comitis Henrici, nostri Aduocati consilio & instinctu, neque enim eo anno, nisi Comes Arduennæ erat, vt patet ex donatione Sigifridi parentis, qui prædia sua in villa Mersch, quæ tribus horis Luxemburgo distat, ad Alizontiam S. Maximino dedit DCCCCXCIII. Postea autem dénum anno MIII. iuxta authorem vitæ S. Meinuerici apud Christophorum Brouuerum, num. 14. in Syderibus Germ. iuxta Andræam Brunnerum verò Boicorum Annalium libro 3. in fine anno MV. die S. Benedicti, Dux Bauariæ à Sancto Henrico Imp. Sororio suo nominatus est. Donatio Berthæ, sicut & Sigifridi litteræ, testes præcedentium in Originalibus exhiberi possunt, sicut etiam Originales Henrici III. Imperatoris de anno MDVI. sub Num. 24. quibus Aduocatiam S. Ma-*

ximini regulat, ciuitate lura exponit Giselberto Comiti Luxemburgensi, Monasterij itidem Aduocato Henrici Aduocati ex fratre Friderico Nepoti, iuxta normam & lura, quibus in Aduocatia eadem visus fuerat praedictus Henricus cognomento SENIOR. Vide Andræam du Chesne, Christianissimi Regis Historiographum, qui praedicta accuratè adnotauit in libro, quem de Historia Luxemburgensi ad Cardinalem Richelieu nuper scripsit. c. i. pag. 8. & in probationibus Cap. 2. pag. 9.

Henricus, Sigifredi Primi Comitis Luxemburgensis ex Friderico filio nepos, natuque maior Friderici, cognomento IVNOR, defuncto Henrico Patruo (qui & Senior ab historicis dicitur) in Aduocatia S. Maximini successit, namq; Fridericus, Parens Henrici IVNORIS obierat ante mortem Henrici SENIORIS Fratris sui natu maioris, vt liquet ex historicis, qui post annum MVII. nullam amplius faciunt mentionem Friderici, plurimam autem Henrici SENIORIS.

Henrici IVNORIS Aduocatia Maximiniana verificatur ex prefatis litteris Henrici III. Imp. de anno MLVI. in quibus ad preces Giselberti Comitis Luxemburgensis Maximini Aduocati, Aduocatæ Maximinianæ lura regulat & constituit, iuxta normam, qua Henricus SENIOR & Henricus IVNOR Luxemburgenses Principes eam obtinuerant, vt videre est sub N. 24.

Item ex litteris S. Popponis Abbatis Maximiniani, in quibus Poppo vna cum Henrico Duce (Ducatu enim Bauariae ab Imperator donatus fuerat) Monasterij S. Maximini Aduocato, Billacum (hodie Wasserbillig) oppidum tum ad S. Maximum spectans, ad confluentes Suræ & Mosellæ, quatuor horarum spatio dissitum Luxemburgo, in ordinem redegit, legesque illi dedit. Huius quoque chartæ originale exhiberi potest. Fuit hic Henricus sepultus ad S. Maximum iuxta Sigifridum, maioresque suos Luxemburgenses Principes, deditque Maximinianis pro animæ refrigerio **Luzelkirchen & Schittringen** pagos non procul Luxemburgo dissitos, vt habet vetus Menologium mortuale Maximinianum, ante annos D. circiter conscriptum. Vide etiam de Aduocatia huius Henrici Andræam du Chesne in historia Luxemb. c. 2. pag. 14. & 15. & in probationib. c. 3. pag. 17. & c. 4. p. 26. circa finem cit.

Giselbertus Comes Luxemburgensis & Salmensis Sigefredi nepos, Friderici filius Henricus IVNORI fratri successit, is sue Aduocatæ lura cum Monasteri Juribus confusa, in presentia plurimorum Principum ab Imperatore liquidari curavit, vt patet ex superius citato Henrici NIGRI, seu III. Imp. diplomatico Refert Richardus Wasseburg, Archidiaconus Virdunensis, *Tomo I. Annales suorum in vita S. Richary fol. 218* quod cum Lithardus Ottonis III. Imperatoris propinquus, ex Comite de Longui Monachus, ad S. Vitonum Virduni in S. Maximini Monasterio defunctus, ibidem esset sepultus, per Giselbertum Comitem Luxemburgensem Aduocatum Maximinianum, fuisse deinde exhumatum, & Vitonianis restitutum S. Richario, Abbe S. Vironi cum repetente. Giselbertus creditur ad S. Maximum iuxta maiores suos sepultus, dedit eidem Monasterio Sweplingen & Lezenich pagos Luxemburgenses, vt notat præfatum vetus Necrologium, seu mortuale Maximinianum ad XIX. Kal. Sept. Vide Andræam du Chesne in historia Luxemburgensi, c. 4. pag. 24. & 25.

Conradus Comes Luxemburgensis eius nominis I. Giselberto Patri in Aduocatia successit, id probatur ex litteris Henrici IV. Imp. de anno MLXV. quibus annitente & summopere petente Conrado Aduocati iura in Monaste-

rium, in amplissimo Imperij Principum confessu, Treuiris declarata iterum & & roborata sunt. Bellum etiam & similitates, quas cum Archiepiscopo Treuirense Euerhardo, suscepit Conradus; partim Maximinianorum causa suscepisse videtur, quando Theodoricus Abbas orta seditione inter Maximinianos & Archiepiscopales, milite Monasterium muniuit, ut patet ex litteris Theodorici, quas vide sub N. 28.

Henricus, Conrado patri defuncto successit, hoc quoque mortuo, Wilhelmus frater Henrici ex eodem parente Conrado natu minor Comes Luxemburgensis & Aduocatus S. Maximini fuit. omnia probantur ex litteris Mogunguntinis Henrici V. Imperatoris, seu IVNIORIS de Anno MCVII. Itemque alijs eiusdem Imperatoris Spirenibus de Anno MCXII. in quibus latè Iura Aduocatorum explicantur. Quas vide Nu. 30. & Andraem in *historia Luxemburgensi c. 6. pag. 31.*

Conradus II. Comes Luxemburgensis Wilhelmo patri, in Aduocatia successit, probatur ex litteris ipsius Conradi de anno MCXXXV. quibus Iura Aduocatorum S. Maximini, tanquam supremus Aduocatus, & à Regia manu bannum habens, ut de Wilhelmo eius patre loquitur Henricus Imperator in citatis litteris Conradi II. litteras habes sub Num. 32. Vide Historiographum Franciae Andraem in *hist. Luxemb. cap. 6. pag. 31. & in probat. c. 7 pag. 35.*

Henricus Comes Luxemburgensis & Namurcensis vulgo Cæcus, post Conradium vna cum Comitatu Luxemburgensi, Aduocatiam supradictam Iure hereditario acquisiuit. Mortuo enim dicto Conrado II. sine liberis, Comitatus ad Henrici Matrem Ermesindam deuolutus erat, quod Ermesinda filia esset Conradi primi Comitis ac Wilhelmi soror, ac Gerardo Comiti Namurensi Henrici patri nupta.

Hoc tempore Albero Archiepiscopus Treuirensis Abbatiam conatus est Ecclesia sua subiucere, uti suo loco dicetur.

Probare autem Aduocatiam Henrici, superuacaneum est, cum & ipse auctor Libelli passim eam agnoscat, atque etiam documenta proferat, quæ cundem Henricum ab Imperatore Aduocatiam recepisse narrant, ut videre est in Conrardino, in libello producto sub lit. V.

Henrico Cæco, qui adhuc anno MCLXXXVIII. viuebat, in Aduocatia successit tertia Luxemburgium stirps, ex Limburgensis & Arlunensis profecta. Nam cum Henrico nisi unica fuisse Filia, Ermesinda itidem, ut aua nominata, eaque desponsata primis nuptijs Theobaldi I. Barrensi Comiti, nullam protulisset Prolem, nisi Filiam nomine Isabellam nuptam Walramo Limburgensi IVNIORI, Walrami SENIORIS Limburgensis filio tandem praedita Ermesinda mortuo Theobaldo anno MCCXIV. nupta est Walramo SENIORI Comiti, tum Arlunensi, postea etiam Duci Limburgensi. Unde ad Limburgenses in qualitate Comitum Luxemburgium deuoluta est Aduocatia, & quidem ex contractu nuptiali anno MCCXIV. celebrato, non ad posteros, qui ex Isabella filia Ermesindis prognati erant, sed ad posteros, qui ex Henrico Walrami SENIORIS & Ermesindis filio prognati erant. Vide Andraem in Historia Luxemb. & Limb. hæc pluribus deducentem. Walramus II. igitur cum Vxore Monasterij Aduocatiam habuit, ab anno MCCXIV. usque ad annum MCCXLVI. quo mortuus est.

Henricus Comes Luxemburgensis cognomento MAGNVS & Blondellus successit Walramo Patri in Aduocatia prout probatur ex instrumento, quo tanquam Aduocatus Monasterij, fecit dominos de VISBACH iuri Patrona-

tus Ecclesiæ de VISBACH, quod usurpauerant, cedere, illudque Monasterio restituere. Iplsum Originale de anno MCCLV. exhiberi potest.

Henricus II. prædicti Henrici BLONDELLI filius, & Comes Luxemburgen-  
sis patri successit, cui, tanquam Aduocato commisit S. Maximini Monaste-  
rium in omnibus iuribus & libertatibus suis, quoad homines & bona attinentes ei-  
dem Monasterio iuxta priuilegiorum suorum tenorem ipsiſ à Romanis imperatoribus  
& Regibus indulitorum, autoritate Regia tuendum, protegendum & defendendum.  
Rudolphus I. Habsburgicus Imperator litteris cam in rem expeditis Hagen-  
næ, anno MCCLXXVI. quas habes sub Num. 37.

Henricus cognomento IVSTVS, ex Luxemburgensi Comite deinde Impe-  
rator, eius nominis SEPTIMVS, successit Henrico II. patri, hic in litteris Me-  
diolani datis, anno MCCCXI. ad Henricum Dapiferum, ad Præpositum  
Luxemburgensem, ad Præpositum Bidburgensem, & reliquos Officiatos Comi-  
tatus Luxemburgensis, mandat omnibus & cuilibet sub obtentu gratiæ suæ, fir-  
miterque præcipit, ut Maximianos in omnibus hominibus, redditibus &  
rebus vniuersis, defendant cum effectu, prout, & quando ab eis, vel eorum man-  
dato, fuerint requisiti, idque non solum nomine Prædecessorum suorum, Romano-  
rum Regum & Imperatorum Fundatorum Ecclesiæ S. Maximini & Protectorum eius-  
dem, sed & progenitorum suorum Comitum Luxemburgium, quibus uti superio-  
ribus Aduocatis, immineat ex debito dictam Ecclesiam defendere specialiter, & pro-  
tegere ab omnibus molestijs & aduersitatibus. Ita documenta Archiuij Monaste-  
rij, & ex mandato Friderici Comitis de SARWERDEN Luxemburgi Guberna-  
toris de anno MCCCCVIII. colligitur, illud habes sub Num. 44.

Ioannes Rex Bohemæ & Comes Luxemburgensis post Henricum SEPTI-  
MVM Patrem, Aduocatiam habuit.

Et post illum Wenceslaus, non autem Carolus filius Ioannis natu maior,  
qui postea factus Imperator, dictus est Carolus IV. nam testamento paterno  
de anno MCCCXL. Carolo cessit Bohemiam & Wenceslao Luxemburgum  
omnesque eius appendices & Iura, adeoque & Aduocatiam Maximianam, ut  
patet ex Caroli testamento, quod extat. Sed extant & litteræ Treuiris datæ an-  
no MCCCLIV. quibus Carolus Imperator, fratri Wenceslao Comiti Luxem-  
burgensi, aut cuicunque pro tempore existenti Comiti Luxemburgensi tan-  
quam Aduocato Monasterium Maximianum Regis & Imperatoris authori-  
tate protegendum & defendendum committit. Vide eas sub N. 38.

Wenceslaus alter, cognomento IGNAVVS, Caroli IV. filius, itidem Impera-  
tor Wenceslao patruo successit, & cum Comitatu Luxemburgensi (à Carolo  
patre Wenceslao patruo adhuc viuente in Ducatum eretto) Aduocatiam S.  
Maximini adjicit, qui ternis litteris datis Luxemburgi anno MCCCLXXXIV.  
iura & priuilegia S. Maximini protegit, defendit &c. vnaque etiam Protec-  
toriales Caroli IV. ad Wenceslaum, vel quemcumque pro tempore Luxembur-  
gensem Principem, tanquam Aduocatum Monasterij suis late inserit. Omniū  
litterarum Wenceslai IGNAVI copiam habes sub Nu. 41. & seqq.

Cum Wenceslao IGNAVO Ducatus Luxemburgensis iura, Jodocus Mar-  
chio Morauiae, postea Imperator ex Joanne Henrico, Caroli IV. Fratre pro-  
gnatus, velut ex æquo diuisit, ita volente ipso IGNAVO, qui Jodocum in so-  
ciūm hæreditatis vltro ascuerat. Jodocus autem Ludouico Duci Aurelianensi,  
Carolii IV. Francorum Regis Fratri, vices suas commisit, ut absens nominis  
Mamburnus Luxemburgenses regeret. Quocirca Jodocus & Ludouicus,  
quilibet suo modo Aduocatiam S. Maximini, velut sibi & principaliter, & vi-

carie



cariè respectiuè competentem procurârunt. Extant Protectoriales Aduocati Jodoci de anno MCCCXCIV. & Ludouici de anno MCCCCII. quæ exhiberi possunt. Sed & Fridericus Comes de SARWERDEN, sub hæc ipsa tempora, Mamburnus & Capitaneus Luxemburgensis, pro Maximianis Defensionales expedivit anno MCCCCVIII. habes sub Num. 44.

Elizabetha Gorlizia neptis Wenceslai JGNAVI ex fratre Joanne Duce Gorlizensi post illos habuit Ducatum Luxemburgensem & simul Aduocatiam præfatam; & cum illa maritus eius Antonius Burgundus; Elisabethæ Defensionales habes sub Numero 46. Antonius quoque tanquam Aduocatus multum in Monasterij negotijs laborauit, dum suffragiis dissidentes, Religiosi duos Abbates elegerunt, quorum vterque electionem suam vrgebat, quoad tandem, posita lite, nouis comitiis Lambertum à Saxenhausen, Prælatum nominarunt. Habentur Antonii Defensionales, Luxemburgi datæ pro Monasterio ad Rupertum Comitem de Virneburg Luxemburgi Gubernatorem, de anno MCCCCXI. sicut & alia duo eius Rescripta in fauorem Monasterii de anno MCCCCXII.

Philippus Burgundus, cognomento BonVS, post Elizabetham & Antonium Burgundum, obtinuit Ducatum Luxemburgensem & Aduocatiam: Illi Abbas S. Maximini tanquam primus Ecclesiastici status in Ducatu Luxemburgensi, Iuodii IV. Nou. anno MCCCCLXI. occurrit, eoque nomine iurauit. Ipse verò Philippus, anno sequenti MCCCCLXII. professus more Maiorum se Aduocatum S. Maximini, Defensionales rescripsit. Eadem Philippo, omnibusque Ducibus Luxemburgensis, præsentibus & futuris Maximianos, eorumque Monasterium, homines & res, Regia authoritate & Cæsarea defendendos, tanquam hæreditariis Aduocatis & perpetuis, commisit Fridericus III. Austriacus Imperator anno MCCCCXLII. litteras Imperatoris habes sub Num. 47.

Carolus cognomento AVDAX Philippi Boni filius & hæres, Ducatum & Aduocatiam deinde habuit, cui Abbas Maximianus iuramentum dixit Marchiæ in Famaña anno MCCCCLXIII. Caroli Defensionales Luxemburgi datas anno MCCCCLXXIII. habes sub Numero 48. Idem Carolus anno MCCCCLXXIII. Imperatorem Fridericum eiusque filium Maxilianum Archiducem Regaliter & magnificè in Monasterio S. Maximini exceptit. *Vide magnum Chronicum Belgicum, pag. 401. & seqq.* Carolus quoque, Aduersus Archiepiscopum ad Palatiolum in fundo S. Maximini, & intra districtum suæ Aduocatiae & Protectionis, moles inchoantem & Maximilianorum aliorumque pisationem impedientem, pro Maximianis fortiter stetit iubens moles disjecti &c. ut ex litteris, quas habes sub Num. 49. pluribus disces.

Maria deinde Catoli filia, eiusque maritus Maximilianus Austriacus Archidux, postea Imperator eius nominis Primus, Ducatum & Aduocatiam hæreditario Iure habuerunt. Protectoriales Maximiliani & Philippi eius filij, mortua iam matre Maria habentur de Anno MCCCCLXXXVII. Brugis rescripta sub Numero quinquagesimo. Sed & alia plurima Maximiliani rescripta pro Monasterio asseruantur & extant, in quibus eminet illud, quod concessit postmodum Imperator, quo amplissimè lura omnia Monasterij confirmat & innouat, & expressis verbis mandat Duci Luxemburgensi præsenti & futuro, ut tanquam Aduocatus istius Cœnobij Abbatem, Conuentum & Monasterium ac homines, bona, redditibus & Iura ipsorum auctoritate Cæsarea protegat, defendat ac conseruet. Vide illud sub N. 61.

Philippus Archidux, postea Rex Hispaniæ eius nominis Primus, cum Luxemburgo vñà Aduocatiam adiuit, viuente etiamnum Patre Maximiliano Cæsare, præter superiores eius Defensionales cum Maximiliano communes, alias rescriptit Bruxellis anno MDIII.

Carolus Imperator eius nominis V. post Philippum patrem, Ducatum & Aduocatiam habuit etiam ad initia Regiminis, Bruxellis Protectoriales rescriptit anno MDXV. Inde sèpius pro Monasterij defensione rescriptit, vt pluribus Originalibus adhuc extantibus liquet. Philippo etiam Badensi Marchionî, Gubernatori Luxemburgensi Monasterij Defensionem comisit. Philippus Marchio Protectoriales anno MDXXI. expedivit, quas habes sub Numero 63. Quæ pro defensione Sancti Maximini præstiterit Carolus, pluribus vide supra cap. primo sect. prima. Sed & Belgij suprema Gubernatrix Maria Regina Hungariæ literis pluribus Monasterium ornavit. Vnas de anno MDL. & alias de eodem anno, ad Archiepiscopum Treuirensem habes sub Numero 70.

Philippus II. Rex Catholicus Carolo V. patri successit in Ducatu Luxemburgenfi, itemque in Aduocatia Maximiniana, eius Protectoriales habes sub Num. 71. & 72. ex quibus sincera semper Luxemburgensium Principum mens in Maximinianos probatur. Extant & multarum aliarum in fauorem & defensionem Monasterij expeditarum originalia.

Certè Philippo debetur conseruatio Monasterij contra Ioannem à Petra Archiepiscopum, cùm enim Ioannes Isenburgicus Monasterij Coadiutor euassisset, dataq; fide iurasset, se Monachum induere velle, & religionem in Monasterio profiteri, & si vnquam Coadiutoriam deponeret, eam in neminem alium transferre velle, sine Monachorum consensu: his non obstantibus, vt Monasterij gubernacula ad Archiepiscopos transferret, Religionem professus non est, sed Coadiutoriæ etiam nomine facilius in Archiepiscopum postea electus est, quò magis Electores adnexam cupiebant Abbatiam Archiepiscopatu: Coadiutoriam autem mutatam in Commendæ speciem, reluctantibus Monachis transtulit in Ioannem à Petra, suum in Archiepiscopatu successorem. Verum Cordatissimus Rex Philippus, qui videbat hisce titulis, & collusionibus (vt vocabant) potius nihil quæsti, quam Iurium Monasterij euersionem, adeò fortiter se conatus Ioannis à Petra opposuit, vt à Commenda in perniciem Monasterij impetrata absistere debuerit. Vide Pactum Isenburgici sub Numero 69.

Philippo SECUNDO successit, primum eius filia Isabella & Albertus Archiduces & Supremi Belgarum Principes, tum filius Philippus Tertius, Philippo III., Philippus IV. filius, gloriofissimus Hispaniarum Rex & hodiernus Monasterij Aduocatus, cuius felicibus auspicijs pulsos à Philippo Christophoro Archiepiscopo Maximinianos, Christophorus Comes Embdanus & Ost-frisia Luxemburgi Gubernator, iubente Serenissimo Ferdinando Cardinale Infante Supremo Belgij Gubernatore, Regijs armis iter facientibus, Beata Virgine Annuntiata referante portas, nuperè XXVI. Martii anni MDCXXXV. reduxit. Philippi IV. Protectoriales habes sub Num. 83.

Ferdinandi II. Cæsar, quibus eidem Philippo, tanquam hereditario Aduocato Monasterii Protectionem commendat, litteras habes sub Numero 87.

Carolo V. Philippo II. III. & IV. regnantibus etiam Belgio adeoque Luxemburgo & Aduocatia Maximinianæ consequenter præfuerunt, primò

Mar

Margaretha Ducissa Parmensis Gubernatrix Belgij, cuius multa extant rescripta defensionalia Monasterij, duo apposita habes, vnum sub Numero 73. alterum sub Numero 74. Deinde Alberus Archidux initio Gubernator Belgij, mox etiam cum Isabella Infanta Hispaniarum Dominus & Princeps, adeoque Hæreditarius S. Maximini Aduocatus, cuius, ut & Isabellæ defensionales habes sub Numero 78. Sicut & Cardinalis Infantis Ferdinandi hodie summa potestate & felicitate pro fratre Rege Belgij administrantis sub Num. 90. & Ferdinandi II. glorioſiſſimæ memorie Imperatoris ad Serenissimam Infantam Isabellam sub Num. 89.

Ex quibus omnibus luce clarius appetet, Principes Luxemburgenses omnes à primo vique ad ultimum, & hodiernum fuisse Aduocatos & Protectores Maximianos.

### SECTIO II.

*Aduocatia Ducum Luxemburgensium suprema est, &  
extendit ſe ad omnia Monasterij bona  
vbiunque ſita.*

**N**ON restrictam vlo modo, sed ampliſſimam fuisse præfatam Aduocatiam pluribus rationibus ostenditur.

Primo, quia Luxemburgenses Principes olim ſoli Aduocatiam ſeu Aduocatiæ bannum ut vocabant, à Regia manu uſcipiebant, adeoque à Regibus & Imperatoribus Aduocatia inueſtiebantur, tanquam beneficio Regio & Imperiali, ut de Giselberto Sigifredi primi Comitis Luxemburgensis nepote & Monasterij Aduocato, expreſſe habetur in litteris Henrici NIetri Imp. de anno MLVI. vbi hæc habentur. *Aduocatus vero Giselbertus, qui in praefentiārum eſt, alijque Successores ipſius, qui Bannum à Regia manu uſcepereint, &c.* vide Diploma Num. 24. Idem habetur de Conrado Giselberti filio, Aduocato Monasterij, ut pater in litteris Henrici SENIORIS Imperatoris de anno MLXV. vbi hæc loquuntur: *Aduocatus verò Chonradus ſive Successor ipſius, qui bannum à Regia manu habuerit.* Idem habetur de Guilhelmo Conradi filio & Monasterij Aduocato, ut patet ex litteris Henrici IVNIORIS Imp. de anno MCXII. in quibus dicitur, *Aduocatus verò VVilhelmus, qui in praefentiārum eſt, &c.* planè ut ſupra in alijs, eas habes sub Num. 30. Idem habetur de Conrado II. Guilhelmi filio & Monasterij Aduocato, ut patet ex ipſiusmet Conradi litteris de anno MCXXXV. in quibus, tanquam Aduocatus Aduocatiæ ſuæ iura declaratur, ſic incipit. *Ego Conrādus Comes de Luzelenburg, postquam prouidente Deo poſt diſceſſum piaſſimi Genitoris noſtri VVilhelmi Comitis, de manu Regia, quidquid tauris noſtri eſt, cum omni integritye recepiimus.* litteras vide ſub Numero 32. Simili modo Henricus CÆCVS SEV NAMVRCENSIS, habuit Aduocatiam ab Imperatore Conrado II. ut patet ex litteris prætentis, quas allegat Aduerſarius Scriptor in ſuo libello pagin. 164. Similiter & Rudolphus Primus Imp. commiſſit Aduocatiam Henrico Secundo, Hentici BLONDELLI filio. Vide litteras Rudolphi ſub Numero 37. Item Carolus Quartus Imperat. Wenceslao Duci primo Luxemburgensi ſub Numero 38. & Fridericus IV. Imp. Philippo Bo no Burgundo ut eſt ſub Num. 47.

Et tamen omnes alij Aduocati, qui ſupremi non erant, neque Generales, ſed particularium tantum Monasterij locorum Aduocati quales plures

etiamnum habet non à Rege vel Imperatore, sed ab ipso tantum Abbatे Aduocatias accipiebant, ita ut posset Aduocatias illas dare, quibuscunque veller Abbas, easque tollere quibus veller, ut docent litteræ plurimæ. Ut Ottonis Magni de anno DCCCCLXX. datæ Rauennæ, in quibus habetur, *Decreuimus nostra authoritat is precepto, ut idem Abbas Thietfridus S. Maximini Prel, eiusque Successores Aduocatias habeant quibus velint dandi, quibusque velint, tollendi potestatem, eas habes sub Num. 15.* Ottonis II. de anno DCCCCLXXIV. datae Wormatiæ, in quibus habetur, *Abbas sibi que commissa congregatio, eorumque Successores potestatem habeant, Aduocatias Monasterij sui, cui velint dandi, cuique velint tollendi, vide illas sub Num. 16.*

Idem concedunt & decernunt Ottonis III. sub Num. 18. S. Henrici Imperatoris sub Num. 19. & aliae eiusdem sub Num. 20. Conradi Salici sub Nu. 31. Caroli IV. sub Num. 40. Wenceslai, ac nouissimè Ferdinandi II. Cœsari N 88.

Ex quibus infero Aduocatum eum seu Protectorem qui ab Imperatoribus ordinatur eorundem Imperatorum Ditionem territorij que latitudinem sequi, siue æquè latè patere & ad omnia loca tempore primævæ Protectionis Imperatoribus subdita se extendere, ubi vbi illa sint, modò ad Monasterium pertineat. Vide Martinum Magerum à Schönberg, de armata Aduocatia, cap. 9. num. 808. & seqq.

Secundo, quia aliquando vna simul cum Abbatे Luxemburgenses Principes per Curtes & Villas Aduocatos particulates & inferiores constituebant, vtique tanquam supremi. Sic enim loquitur Conradus II. Comes Luxemb. in litteris de anno MCXXXV. quibus ius Aduocatiæ suæ iudiciliter coram Abbatे Gerardo & ministris explicat. *Per curtes verò Aduocatiae Aduocati, qui de manu nostra Aduocatias tenent, non nisi ter in anno tantum placitare debent.* Itaque superius Aduocatus de manu Regia bannum & Aduocatiam accipiebat; Inferiores verò Aduocati, volente & nominante eos Abbatē, aliquando de manu Principis Luxemburgensis, tanquam Aduocati supremi & vices Imperatoris referentis. Nunciuxta Priuilegia Regum & Imperatorum omnia vetera & noua, soli Abbates Aduocatias inferiores dant & tollunt, prout lubet, & sic etiam modo habet praxis à centenis aliquot annis obseruata.

Tertio, quia Luxemburgensibus Principibus Maximilianis Aduocatis ab Imperatoribus concessa fuit defensio Monasterio vniuersim & cum vniuersitate. Sic enim Rudolphus Imperator sub Num. 37. ad Henricum Hentici VII. post Imperatoris parentem, *Abbatem & Conuentum Monasterij S. Maximini Treuirense in omnibus iuribus & libertatibus suis, quoad homines & bona attinentes eidem Monasterio, iuxta priuilegiorum suorum tenorem, ipsi à Romanis Imperatoribus, & Regibus & nostris antecessoribus indultorum, & à nobis confirmatorum, autoritate nostra Regia tuearis, protegas & defendas, &c.* Item Carolus IV. Imp. ad Wenceslaum Luxemburgensem adhuc Comitem, postea Ducem, postquam pluribus vniuersitatem Monasterij protegendarum tanquam Aduocato concessisset, ut videre est sub Num. 38. tandem sic concludit, *Non permittens predictis Abbatii & Conuentui in ipsorum bonis, redditibus, fructibus & possessionibus, hominibus & servitoribus quibuscunque, quas & que in Comitatu Luxemburgensi, vel extra habent, seu habere noscuntur, à quocunque, vel per quencunque, cuiuscunque status vel præminentie existant, aliquam inturiam, turbationem & aliqualiter irrogari.* Item Fridericus IV. Imperator ad Philippum Bonum Burgundiæ Ducem, ut est sub Num. 47.

Denique usus & praxis obseruantia que, à tempore omnem hominum me-

moriam

moriā excedente, eiusmodi fuit, ut Principes Luxemburgenses perpetuò & in omnibus casibus se offerentibus, Protectionem Maximilianam in bonis tam extra, quam intra Luxemburgense territorium sitis, exercuerint, quam ob causam Principibus Luxemburgensibus præstantur à Maximilianis & semper præstata fuerunt seruitia, quæ habentur fusè partim in citatis sæpiùs instrumentis Henricorum Imperatorum Nigri, Senioris, Iunioris & Conradi II. Comitis Luxemburgensis, partim in antiquissimo Abbatis Bartholomæi libro ante annos CCCC. conscripto.

### SECTIO III.

*Eadem Aduocatia apud Ducem Luxemburgensem hæreditario Iure semper mansit.*

**P**er continuam Comitum ac Ducum Luxemburgensium seriem præfatam Aduocatiam inde à primo usque ad hodiernum regnante Regem Catholicum, Ducem Luxemburgensem iure Successionis deuolutam, ac consequenter hæreditariam & huic familiæ quodammodo innatam ac omnino propriam esse, iam euidens esse puto, sed insuper confirmatur rationibus & considerationibus sequentibus.

Vt ex eo, quod cum unica filia hærede tertio Aduocatia transferit ad eos, ad quos transiuit Comitatus vel Ducatus Luxemburgensis hæreditas; primò quidem in Ermesinda **PRIMA** ad Namurcenses, inde in Ermesinda **SECUNDA** ad Limburgenses, ut pluribus supra ostensum, tertio in Maria Burgundica Caroli Audacis filia ad Domum Austriacam & Hispanicam. Vide Martinum de *Aduocatia armata*, c. 9. 11. 26. pag. 442. & seqq. vbi ostendit & in muliere posse esse Aduocatiam, & in maritum communelque liberos deinceps transferri.

Ad haec ex eo quod Ioannes **CÆCVS** Rex, diuidens testamento hæritates, illi transmiserit Aduocatiam, cui transmisit Comitatum Luxemburgensem, scilicet Wenceslao Iuniori natu, quem Aduocatum Maximilianorum agnoscit maior natu Carolus IV. Imp. sicut agnoscebat Comitem Luxemburgensem, iuxta litteras sub Num. 38. Namque Comitatui Luxemburgensi tanquam Imperiale beneficium annexa erat Aduocatia Maximiliana: vnde Imperatores Aduocatiam committentes Comitibus Luxemburgensibus, vel de eius iuribus agentes, agunt simul de Successoribus eorum. Henricus **NIGER** Imp. Giselberto Comiti Luxemburgensi declarans quid Iuris ratione Aduocatiae haberet, in suis de anno MLVI. sic loquitur, *Aduocatus vero Giselbertus, qui in praesentiis est, alijque Successores ipsius, qui bannum à Regia manu suscepereint, proxima die post Festum S. Maximini & placitabunt.* vide sub Num. 24. Henricus **SENIOR** Imperator Conrado Comite Luxemburgensi petente, iura Aduocatiae suæ illi exponens anno MLXV. sic habet, *Chuonrado etiam Comite, & eiusdem loci Aduocato annidente & summopere petente, assensum præbentes & paterna traditioni (Giselberti enim patris iura Conradus sibi filio declarari perebat) per omnia consentientes & constituimus &c. & mox infra. Aduocatus vero Chuonradus siue Successor ipsius qui bannum à Regia manu habuerit & placitabit &c.* Henricus **IUNIOR** Imp. anno MCXII. Guilielmo Conradi filio ius suæ Aduocatiae exponens, sic prosequitur, *Aduocatus vero VWilhelmus Comes, qui in praesentiis est, siue Successore eius, qui bannum à Regia manu suscepit &c.* vide litteras sub

Num. 30. Carolus IV. Imp. committens Wenceslao Comiti Aduocatiam sic scribit, *Illustri VVenceslao Comiti Luxemburgensi fratri nostro charissimo, aut ei, qui pro tempore ibidem esset Comes &c.* vide sub Num. 38. Fridericus IV. Imp. in suis hæc habet. *Illustri Ducis Luxemburgensi Principi & consanguineo nostro charissimo presentibus & futuris, quibus presentes exhibita fuerint.* vide litteras sub Num. 47. Sed & Conradus in suis de anno MCXXXV. sub Num. 32. prædictorum modum loquendi satis exponit. Postquam enim Aduocatiæ lura explicasset, sic concludit: *Hec igitur persententiam nobis dicta, & in priuilegio Domini Henrici IV. Regis Romanorum, alijsque priuilegijs Romanorum Imperatorum & Regum expressa & confirmata, rata habemus, nobisque & omnibus Successoribus nostris iniuiolabiliter tenenda in perpetuum relinquimus.* Ex quibus plus quam sufficienter liquet, Aduocatiam Maximilianam Principibus Luxemburgensisbus hæreditariam esse, & à maioribus ad posteriores lura successionis deuolutam.

Denique ex seruitiis, quæ ratione Aduocatiæ debebantur Principibus Luxemburgensisbus, non ut Giselberto, Conrado &c. sed ut Comitibus Luxemburgensisbus, vnde & antiquissima Monasterij monumenta & documenta sic habent: *Hesunt curiae, quæ Comiti Luxemburgensi debent seruitium, Mudenurt, Mambre, Sconeberie, Mertert, Lindiche &c.* considera Diplomata Imperatorum supra citata, scilicet Henrici Nigri, Senioris, Iunioris, Caroli IV. Friderici IV. Itemque Conradi Comitis, videbis præfata lura & seruitia Comitibus Luxemburgensisbus, eorumque Successoribus à tot sæculis debita & adiudicata fuisse.

#### C O N C L V S I O.

**E**X ijs, quæ hoc capite relata sunt, manifestè concluditur, Hispaniarum Regem potentissimum hodie feliciter regnante, eius maiores, quatenus Dukes Luxemburgenses Iure hæreditario & irrefragabili Aduocatiam supremam & vniuersalem in Abbatiam Imperialem S. Maximini eiusque omnem ditacionem exercuisse & exercere, atque ad hoc officium præstandum, non modo impelli ab ingenita sua Clementia & Magnitudine, quo omnes sibi à maioribus traditos Clientes Regiè tueruntur, verum etiam ob seruitia, quæ hodieque **Schirmfrucht/Schirmgelt/et.** id est fruges, pecuniae protectoriales, vocantur, & quotannis ipsis à Maximilianis subditis præstantur, & à Regijs quæstoribus recipiuntur, ad id Iure obligari.



PARS